CHRISTO SERVATORE ANNUENTE!

DISSERTATIO ACADEMICA,

De

SAGIS,

Sive Fœminis, commercium cum Malo Spiritu habentibus,

E

CHRISTIANA PNEVMATOLOGIA

desumpta,

&

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Maxime Reverendi, Amplissimi atque Excellentissimi

DN. D. VALENTINI ALBERTI, P. P.

Consistorii Assessoris, Academiæ Decem-Viri, Collegii B. Mariæ Virginis Collegiati, Nationis Polonicæ Senioris, & Alumnorum Electoralium Ephori,

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS ET PROMOTORIS SUI

omni observantiæ cultu atatem suspiciendi,

Publicæ proposita ventilationi

Ad diem 6. Decebr. A. O. R. M. DC. XC.

AB AUTORE

CHRISTIANO Stridtbeckh/

Augustano,

Phil. Baccal. & Mag. Cand.

LIPSIÆ, Typis CHRISTOPH. FLEISCHERI.

A. 5061.

STATUS A. C. FULCIMENTIS

Tam

POLITICI

Quam

ECCLESIASTICI,

PATRIÆ AUGUSTÆ PATRIBUS ET ANTISTITIBUS,

VIRIS

Generosissimis, Maxime Reverendis, Nobilissimis, Amplissimis, Excellentissimis, Consultissimis, Prudentissimis, Præcellentissimis atque Clarissimis,

Dominis Mecænatibus, Evergetis, Promotoribus, Fautoribus & respective Cognatis benignissimis, plurimùmque honorandis;

NEC NON

In Amplissima Augustæ civitate

MERCATORIBVS,

Splendidissimis, Spectatissimis ac Florentissimis,

Dominis Patronis, Fautoribus & Cognatis multis nominibus observandis,

Debitæ observantiæ ἀπόλαυμα consecrat filius

Chr. Stridtbeckh / AUCTOR.

ΠΡΟΛΥΛΙΟΝ

VEtus est, inprimis à Pythagoricis olim & Platonicis prolata probataque distinctio, quâ Magiam. Dæmoniacam in θεουργίαν & γοητείαν subdiviserunt. Illius nomen, utpote à Deo ipso petitum, est honorabilius; hujus detestabilius; quemadmodum etiam illa Magia alba, hæc nigra dicta fuit. Illa rem putabatur habere cum Dæmonibus bonis & beneficis; hæc cum hominibus demortuis & dæmonibus malis. Hinc illam licitam, hanc illicitam esse judicabant; priori deditos, laudabiles, alteri addictos, detestabiles vocabant; cum tamen *utrique ritibus fallacibus Dæmonum sint obstricti sub nominibus Angelorum*; quod est judicium *Augustini Lib. X. de Civ. Dei cap. 9. Ut satis mirari non possim*, (inquio ego cum *Vossio Lib. I, de Idololatr. cap. 8. in fine*,) *tantam fuisse superioribus seculis cæcitatem atque inscitiam, ut Salmanticæ & illa Magia* (Dæmoniaca nimirum, quæ à naturali & artificiosa est distincta,)

quam vocant θεραπείαν, *& altera, quam* γοητείαν *nominant, in Scholis publicis doceretur: quemadmodum in* 3. *de natura Dæmonum tradit Jo. Laurentius Ananias, Theologus Tabernas, & ejus fide Georgius Raguſejus, Theologus, Medicus & Philoſophus Patavinus, Lib. II. de divinat. epiſt.* 6. Longe aliud mihi eſt propoſitum, quando in hac Alma Noſtra jam de ſagis publice diſſerere, measque de Magicis hiſce Diaboli concubinis ac ancillis meditationes in cathedra Academica defendere inſtitui. Abſit, ut faveam iis, qui magiam fovent; aut, ut artem eam doceam, quæ ipſum Diabolum agnoſcit Magiſtrum. Contra, Ethicos imitabor atque Medicos, quorum illi de vitiis, hi de morbis agunt, ut utrisque medeantur, & quomodo alii ſibi cavere ab illis poſſint, oſtendant: Ita ego (quæ *Tertulliani de ſpiritalibus nequitiæ* dictio eſt) *non quidem ſocia conſcientia, ſed inimica ſcientia, has* μυελοκχύτους *fraudes noſſe, nec invitatoria operatione ſed expugnatoria dominatione tractare volo*, ſic ut Sagas, fœdiſſimas illas Diaboli ſervas earumque Dominum ipſum magis magisque odiſſe incipiamus, omnique ſtudio ſemper fugiamus. Verum autem eſt, quod *Jeſuita Delrio in Præloquio diſquiſitionum Magicarum* obſervat, Philoſophos nimirum, Jurisconſultos ac Theologos de hoc ſcripſiſſe argumen-

mento; dubium, an solus, de quo gloriatur *ibid.* hoc commune tribus illis scientiis stadium satis feliciter ingressus fuerit. Mihi tanta audacia non est. Contentus ero, si ea, quæ de hac materia Cathetræ Philosophicæ, & quidem Christianæ, summo jure competunt, breviter delibavero; relictis iis, quæ Theologiæ ac Jurisprudentiæ propria sunt, sublimiori aliorum disquisitioni. Tria verò, quibus illa omnia commodè comprehendi poterunt, constituam Capita: Primum *Onomatologicum*, Secundum *Pragmatologicum*, Tertium *Porismaticum*. Faxit DEUS, diaboli omniumque ejus mancipiorum judex ac vindex acerrimus: Feliciter!

CAPUT I.
ONOMATOLOGICUM.

§. I.

SAga dicitur à *sagire*, sicut audax ab audere, &c. *Sagire* verò idem est, ac acute sentire, apud *Ciceronem de Divin. Lib. I.* Hinc *ibidem* sagæ anus, quæ multa scire volunt. Improbabile non est, usu receptum fuisse olim adjectivum, *Sagus, a, um*, ut præsagus, a, um. Ita elliptice Saga diceretur, quasi mulier saga i. e. prudens, sapiens. Dixi: improbabile non esse; quemadmodum Turnebus *Saccam* Plauti probabiliter vertit in *Sagam Lib. IX. c. 10.* In vetustis enim exemplaribus, & quidem in *Amphit. Scen. I.* Camerarius testatus fuerat, lecta fuisse verba:

Hæc sola SAGCAM mentem gestat meorum familiarium.

Quod cum crucem fixisset Interpretibus, optime illi visum

sum fuit, dicere: Sagam in Saccam scribentium temeritate aut ignorantia (uti apud Jureconsultos π, quod Pandectas denotabat, in ff. & Odam in Cida ap. *Statium Epiced. in Patrem, v. 95.* in Notis *Gevartii p. 233.*) abiisse. *Acronius* vult, sagam dici, quasi, quæ satis agat. Sed dum alludit ad nomen, ludit, & a vero etymo vocabuli recedit nimis. Nos, ut jamjam indicavimus, primam etymologiam ut optimam & ad nostrum scopum aptam agnoscimus, ac Veneficas sic dici dicimus, quia tempestates aliaque futura præsagire creduntur.

§. II. Actionum varietates varias otiam nominis pepererunt appellationes. Sic in Sacris Pandectis dicitur (a) talis mulier לילית *Esaiæ XXXIV. v. 14.* Vulgata reddidit: *lamiam*, Lutherus: der Kobold. Dicitur alias à לַיִל nox, & de Sagis usurpatur, quoniam noctivagæ evadant, ac congressus suos nocturno tempore instituant; imprimis autem loca obscura & deserta illis tribuuntur, ob frequentia in talibus locis comitia, ut infra audiemus. Nomen autem Kobold de diabolis magis, & bestia, quæ obducta nocte in desertis clamat locis, quam de illis usurpatum invenimus; nec ea ratione huc spectat, quoniam cum Golem sive adjuncto malo angelo Judæorum in omnibus convenit, qui hominibus in servitutem vocatus diabolica præstat officia. Sed hac de re alibi. Quemadmodum etiam fabulam de prima Adami uxore, *Lili*, jam perspectam esse censeo, quam ex תלמוד in תרגום sive Paraphrases Chaldaicas Judæi retulerunt. Referunt nimirum hi fabularum autores & fautores ineptissimi, sapientes suos disputare super eo, quod scriptum est *Gen. I. creabatque Deus hominem &c. creavit*, inquam, *masculum & fœmellam*; & deinde *cap. II. Bonum non est, ut homo solus sit, ego ipsi adjutorium*

pro-

procurabo, quod circum eum sit. Ibi quærunt sapientes isti scilicet, quò mulier illa prima, quæ cum Adamo creata fuerat *Gen. I.* abierit? respondentque, mulierem omnium primam Lilin vocatam, superbe de se sentientem, Viri sui dicto audientem esse noluisse, quod statuerit, eum non minus è terra conditum quam se ipsam. Hanc igitur Deum separavisse ab Adamo, eique aliam è corpore ejus formatam adjunxisse, ut eum sequeretur, serviens illi, tanquam membrum corporis ejus, &c. De Lili autem sua mira fabulantur, quod nequaquam ab angelis à Deo missis potuerit adduci, ut marito reconciliaretur; quod mater sit dæmonum; & quod infantibus recens natis insidiaretur, iis tantum exceptis, quibus alligatur schedula, in qua scripta sint nomina trium angelorum, qui ad ipsam à Deo missi fuerant, ut mandatum ejus ipsi declararent, quibus planum fecit, se non nocituram iis, qui in charta aut pergameno scripta gestarent nomina Senoi, Sammasenoi & Sanmangeloph. *Quæ deliramenta & portenta*, inquit doctissimus *Rivetus Comment. in Genes. II. 24. Tom. I. Oper. p. 102.* postquam ea ex *Buxtorff. Synagog. Judaic. cap. 2.* sic retulerat, *non tam deridenda sunt, quàm deploranda.* Foris itaque sit etiam illud Judæorum, quod apud puerperas quatuor cubilis parietibus inscribunt, חוץ לילית, *Foris lamia esto*, vel, ut alii volunt, circulum in lectum pingunt eique inscribunt: אדם חוה חוץ לילית *Adam Eva, foris Lilith.* Foris, imo procul profana hæc omnia!

§. III. (*b*) Sacræ literæ sagam, quam Saulus in maxima constitutus angustia consuluit, nominant בעלת־אוב *1. Samuel. 28. Dominam Pythonis*, aut juxta Vulgatam, *habentem Pythonem*, quæ operante diabolo imprimis oraculis inserviebat, & in antro sedebat, ex quo respondebat consul-

consultantibus. Est verò *ab Oph*, inquit *Vossius in Etymolog. in voce Pythia*, ὄφις, *serpens*; qualis, stylo Biblico, Diabolus ipse; cujus illa domina, rectiùs mancipium. *Cruciger in Harm. Ling. Card.* ab איב *inimicus*, derivat; esset hinc בעלת אוב *mulier inimici*, nempe infensissimi diaboli, ac Saga. Alias אוב proprie significat utrem, lagenam, quibus vinum continetur, & deportatur, *Job. XXXII. v. 19. Schindl. Lex. p. 54. Buxt. p. 10.* Inde dictæ sic Pythonissæ, quod obsessæ veluti utres inflati turgescant, & spiritus immundus ex illarum ventre respondeat. Hinc Pythonici dicti communiter ventriloqui, ab *Origine 3. Periarch cap. 3. & contra Celsum; Chrysost. 1. Cor. 12. Oecum. Act. 16.* & *Tertull. 4. contra Marcion. cap. 25.* sicut speciatim illam Pythonissam, de qua *Actor. 16.* ventriloquam *Augustinus* appellat. Sed de hoc aliisque Sagarum titulis, quos illis Hebræi tribuunt, videantur imprimis ipsi.

§. IV. Impuri hoc spiritus genus in hellenistica lingua à genere serpentis venenatissimi, quod aspida, vel draconem, nec non basiliscum dici, Fesselius habet, πύθων audit, & ex Hebraico descendit פֶּתֶן quod aspidem veneno valdo infectum denotat. Vide præter *Vossium d. l. Max. Rev. D. Mœbium in tractatu de Oracul. p. 25.* Apollo vero, cum, ut legitur apud poëtas, in prima infantia Pythonem sagittis interfecerit, Pythius imprimis dictus, deinde sacerdotes Pythiæ; & hinc sagæ, Pythonissæ. Quemadmodum etiam πύθων, sagarum dominus, non tantum Delphis, sed in toto orbe passim respondit. Quis ignorat, sagam à Saule consultam habitasse Endore, quæ montana Hermonis urbs, propingua castris, & è regione Sunæ septentrionem versus sita erat, uti *Bisselius Ruin. Dec. III. p. 183.* docet. Ancilla à Paulo restituta, atque πνεῦμα πύθωνος habens, Philippis, urbe in macedonia sita, domino

suo

ſuo lucrum faciebat, *Act. XVI. 16.* ex qua ſine dubio non ſolum vaticinando, ſed etiam ægrotos ſanando, dominus quæſtum accipiebat. Taceo alia exempla. Hinc verò de ampliatione hujus vocis facile conſtat.

§. V. Præterea ſaga quoque φοιβὰς dicitur, latine Phœba; quam *Chryſoſt. Comment. in 1. Corinth.* ſcribit fœminam fuiſſe, quæ in tripode ſedens, expanſa, malignum ſpiritum per inferna emiſſum, & per genitales partes ſubeuntem excipiens furore replebatur, ipſaque reſolutis crinibus debacchabatur, ex ore ſpumas emittens, & ſic furoris verba loquebatur. En, quàm quoad rem cum Pythoniſſa ſic conveniat! Dicitur autem ſic à Phœbo, qui pro Medicinæ inventore habetur, eamque ſagæ vel maxime jactitant; vel etiam à Phœbe, hoc eſt, Luna; operationes enim ſagarum nocturno tempore, ac cum φοίβη, i. e. Luna, in cœli apparet hemiſphærio, utplurimum peraguntur.

§. VI. Apud Latinos cum Saga pari paſſu ambulat *Lamia*, cujus nominis ſcaturiginem nonnulli Latio vindicant, nonnulli Græciæ. *Illorum* partem tenet Penotus, dicitque derivari à verbo *Lanio*, quia mordax hic diaboli fœtus metaphorice laniat & ſcindit baptiſmale fœdus, quid? propriè homines ipſos. *Hi* in duas partes abeunt. Alii à λαμὸς, animali muliebri facie, equinis pedibus, olim dicto λαιμὸς, quod magnum habeat guttur, & integros pueros & homines deglutire poſſit, deſcendere aſſerunt. Alii, & id rectiſſime, à nomine proprio Poëtis haud incognito petunt originem. *Diodorus Siculus Lib. XX. Biblioth. p. 778. Reginam*, inquit, *Lamiam in radice montis ſpatioſo in antro degiſſe fabulantur: Cujus propter animi ferocitatem inſequente tempore facies in belluinam fuit transformata. Exſtinctis enim omnibus ejus liberis, caſum hunc illa graviſ-*

ſime tulit, & invidens aliis matronis liberorum felicitatem, ex ulnis ipſarum abripi, & confeſtim necari juſſit infantes. Quamobrem noſtra etiamnum ætate fama de muliere iſta permanet apud pueros, ejusq; nomen ſummo illis eſt terrori. Cum verò ebrietati indulgeret, quidvis pro arbitrio citra inquiſitionem faciendi licentiam dedit. Quoniam ergo nihil eorum, quæ tum in provincia gererentur, animadverteret ſedulo, quaſi non videret illa, creditum fuit. Propterea fabulati ſunt quidam, quod oculos in marſupium conjecerit, negligentiam vini abuſu commiſſam in merum ſupra dictum, quaſi hoc viſum adimeret, transferentes. Videtur autem *Spinæus* digitum in illam Lamiæ cœcitatem intendere, cum in *Tranquill. animi p. 291. 339.* curioſos Lamiis comparat, quia domi ſcilicet cœcutiant, foris vero ſint oculatiſſimi. Num autem Beli vel Velli (ut habet *D. Pott in tract. de coitu nefando pag. 1.*) & Libyæ filia Lamia dicta, aliàs inſignis & formoſa venefica, ab aliis Scriptoribus prodita, una eademqve cum illa ſit, non multum refert. Sufficit, pari crudelitate ſagas etiam in homines ſævire indeque non male lamias dici.

§. VII. Ab ave, *ſtrige*, ſagæ quoque *ſtriges* nonnunquam dicuntur. Apte omninò. Quemadmodum enim avis illa rapax, nocturna & infauſta à Lucano & Seneca ſalutatur, nec non in templis & deſertis ædibus verſatur, notante *Franzio in Hiſt. animal. p. 623.* ſic ſagæ nocturnas & maxime infauſtas hominibus peragunt operationes. Unde *Serenus Sammon:*

- - - - - Premit ſtrix atra puellas.

Nec alia ſunt tenebrarum opera, quæ aliàs edunt.

§. IIX. Veneficarum atqve maleficarum nomina in vulgus ſunt nota. *Vola* verò nomen, haud æque uſitatum,

tatum, Daniæ incolas magiæ ſacratis attribuiſſe, ex *Actis Erudit. Lipſ. an. 90. p. 35*, conſtat.

§. IX. Germanis, tam veteribus quam recentioribus, hic præſtigiatoris infernalis fœtus **Häckſe** (**Hexe**) ſalutatur. Sunt, qui putant, dici eas ab **Hetzen** ſeu Heza, regina quadam Amazonum, quam celebrem ſagam tumore atque truculentia repletam fuiſſe ferunt, *Avent. L. 1. Zeil. in Tr. Hiſt. fol. 85.* Alii dici eam quaſi Hecatejam volunt, ab Hecate, quæ ex Perſe, Solis filio, nata ad venena mortifera conficienda ſummum impendit ſtudium, ut docet *Diodor. Sicul. Libr. V. cap. 3.* Poëtæ aliàs etiam ſæpe Lunam, cujus imprimis abutuntur lumine Veneficæ, per Hecatem intelligi volunt. Vid. *Virgil. Æneid. Libr. 6.* Huic Hecati Cyprianus Antiochenus, magus, ante converſionem multos etiam ſacravit & immolavit infantes, uti confeſſio ipſa illius, *Expugnationi Orci Spitzelianæ* annexa, loquitur *pag. 794.* Sed & Hecuba, quam mulierem iracundam, atqve maledicam, poſtea in canem mutatam, fingunt Poëtæ, etymo haud inconvenienter videtur congruere. *Martinio in Lexico* dicitur ab ἀγὴς, i. e. ſacra, ſceleſta. Acutè, nec ineptè. Vult enim ſacra & venerabilis eſſe, ſed eſt ſacra, ſive deteſtabilis.

§. X. Prolixè ſic evolutis nominis ſcatebris, atq; omiſſis pauciſſimis, atque per ſe planis, ut ſunt **Unholden** / (à contrario, ab Hulda ſcilicet, uxore Sallum, cujus mentio fit 2. *Reg. XXII.* ut non nemini allubeſcit, dictæ) **Gabel-Reuter / Milch-Diebe / böſe Leute / Wettermacherinn;** vel uno tantum verbo homonymiam ſubjungimus, quam, cum nullius momenti ſit, huc usque reſervavimus. Pervetuſtam autem gentem Sax. circa ortus fere initium ſagarum nomine ab hiſtoricis Romanis, aliisq; fuiſſe notatam legimus, quam appellationem veſtitui eos debuiſſe perhibet

Sigmund von Brück Sächs. Helden-Saal *p. 29.* Hungarorum & Polonorum enim instar id temporis Saxones vestibus contecti erant, quæ ex quadrato constabant panno, atque duabus prioribus extremitatibus collo alligabantur; unde altera etiam fluit æquipollens denominatio. Saga enim nonnunquam etiam idem est, quod sagum; vestis autem erat militaris saga, quæ tyronibus militiæ, uti forsan hodie die Lieberey/ dabatur; nec homines solum, sed equi etiam campestres ea ornabantur. Tali saga eqvum pretiosum, qui in Heliodorum immittebatur, exornatum fuisse, *caput 3. Maccabæor. II.* refert; dicitur enim *vers. 25.* καλλίστῃ σαγῇ διακεκοσμημένος, quo tegmen illius præstans ac pulcherrimum insignitur.

CAPVT II.

PRAGMATOLOGICVM.

§. I.

NE autem in cortice hærere videamur, propius jam Sagis nos accingimus, atqve Definitionem, quæ rei essentiam optime omnium aperit, aggredimur. *Bodinus* definit *Cap. I. Lib. I. Dæmon.* sagam, quod sit, quæ sciens ac volens mediis diabolicis studet, intenditqve conatum suum in actum deducere, atqve eo aliquid lucrari.

§. II. Nos plenius sic: SAGA est fœmina vel marito nondum ligata, vel connupta, vel à maritali vinculo jam soluta; quæ fœdus horrendum, aut ipsa, aut per interpretem cum diabolo, subscriptione nominis sui proprio sangvine aut aliter factá, aut nuda promissione ad certum vel incertum tempus init; Cujus dein opera futura præsagit, mirabilia facit, damnaqve tùm hominibus tùm brutis ut & segeti ac similibus rebus, permittente solum Deo, infligit, conventibus certis diabolicis ad tempus

pus intereſt, nefandum in morem diabolo coire, prolemque parere videtur.

§. III. Multas alias adhuc poſſemus proferre definitiones, ſi *Beſoldi*, *Thummii*, *Carpzovii*, aliorumque vellemus exſcribere, ne autem Lectori nauſeam pariamus, neque ex varia earum differentia modum tractandi obſcurum reddamus, in una illa perſiſtemus, ejusque ſingula membra percurremus.

§. IV. Ἀπὸ τῶν βαλβίδων autem rem orſuri, Subjectum primùm inſpiciamus. Diximus autem Sagam eſſe ſexui muliebri addictam. Imus quidem non inficias, eadem fere deſcriptione magos etiam poſſe notari; interim majorem numerum ſexum muliebrem in hac diabolica communione habere conſtat; quemadmodum multa etiam grandiora & pejora ab his quam illis perpetrata eſſe paſſim legimus. Unde autem eveniat, quod adverſarius ille nequiſſimus, ac prædator ſtygius Diabolus, magis ſexum muliebrem in ſocietatem ſuam ſtudeat perducere, videtur eſſe in aprico. Genus enim muliebre natura imbecillius, ſimpliciusque, & minus vel cavere inſidias, vel intelligere aſtuta conſilia, vel reniti impulſui, vel commiſſa celare poteſt. Præterea ad permovendos & perſvadendos alios accommodatoria, pluraque habet adjumenta, ut verbis *Max. Rever. D. Mœbii (de Orac. C. 2. p. 28.)* utar. In limine ſtatim ſacrarum Pandectarum mulierem à Diabolo Evam ſeductam atque facillimo modo corruptam eſſe invenimus; quare Patribus, haud incommode ob effata nonnulla in mulieres duriora, poſſumus dicam ſcribere; hunc enim ad fontem, malitiæ ſcil. proclivitatem, ἀναμφισβητήτως reſpicientes, ſcripta dictaque protulerunt, ſexum hunc minus collaudantia. *Ambroſius*, mulierem januam Diaboli, viam iniquitatis, ſcorpii percuſſionem appellat;

pellat; *Chryſoſtomus:* Omni malo pejus malum, malum nimirum intolerabile, viperam immedicabilem, venenum inſanabile: Quippe quæ amicitiæ inimica, inevitabilis pœna, naturalis tentatio, mali denique natura, ſed boni colore depicta eſt. Vide ſis plura apud *Stengel. de Matrim. p. 33.* Quæ etiam ſexus hujus conditio plurimos Patrum à connubio fortè deterruit. Sed id hujus non eſt loci.

§. V. Ad imbecillitatem verò ſexus ſequioris dum reſpicimus, non negamus, paupertatem fœminas nonnunquam eò abducere, ut de Deo, quaſi eos repudiarit, curamque ipſarum depoſuerit, iniquam concipiant ſententiam; quare Pluto ille ſtygius deficiente ſic animo, montes aureos (ut ajunt) illis, ſi ſuæ ſe aſſocient ſocietati, promittit, atque operam ſuam offert. Sollicitationibus his auratis miſeræ mulierculæ, quæ aliàs avaritia ardent, aurem præbentes, libenter ac ſponte ſe ſuaque Diabolo mancipant, ac ad ſervitium ejus ſe offerunt.

§. VI. Nec male etiam eos ſentire puto, qui Diabolum plures fœminas quam viros in ſocietatem ſuam pertrahere dicunt per libidinem nonnullarum nimiam, ut eo melius eam explere poſſint; quo laqueo irretitam fuiſſe Viadanam & alias, refert Vindeliciæ decus *Spizelius* in zerſtört. Macht der Finſt. *P. I. p. 4.* quem ob beatiſſimum filii, optimi & literatiſſimi Theophili, deceſſum, in magna conſtitutum animi perturbatione divina benignitas ſuſtentare ac refocillare velit! Uxores verò præ aliis eligit, ut blandimentis illarum mariti etiam & liberi ad artes diabolicas addiſcendas inſtigentur, & excitentur. Quod ſtratagema jam olim ipſum exercuiſſe, hiſtoria lapſus Adami teſtatur.

§. VII. Negamus autem ac pernegamus, proviſden-

dentiam Dei esse in culpa, qui sicuti Satanæ nonnunquam in creaturas tantum ignobiliores permiserit facultatem, ut in porcos Matth. IIX. v. 31. muscas, serpentes & similes; ita & arte venefica sexum sequiorem tingi concedat. Absit, de D. O. M. qui ad imaginem suam etiam mulierem produxit, hanc asserere impietatem! Cum enim Deus omnia fecerit bona, mulierem etiam ad bonitatem, non ut organon ejusmodi diabolicum esset, creavit.

§. IIX. Diabolo potius hic imputanda omnia; quanquam nec hic facile aliquem ad suum cogit servitium; potius plerumqve liberrimus est sagarum consensus, nec Diabolus ultra blanditias ac varii inescandi generis occasiones aliquid adhibet. Contradicunt quidem hac in parte Wierius ac Remigius, existimantes, si blanditiæ aliquando non proficiant, minis eum gravissimis denegatum mancipium impetere atque impetrare. Exemplum hic sistit in Alexia Driega (vide Avunculi æterno cultu colendi *Felicem Literatum p. 160. seqq. & Expugnationem Orci. p. 167.*) Sed nullo modo consensum coactum esse dicimus; in principio enim statim aures patientes dare præstigiatori non debuissent, nec Diaboli pestilens hoc conamen celare, sed fide & pietate claris hominibus, quo melius resistere potuissent, indicare. Accedit quod raritas & infrequentia, certum aliquid de coactione hac dicere non permittat; perfacile enim circumstantia una omissa atque non adnotata totum potuit permutare actum. Quid? quod verosimile sit illud universale: *Satanam non cogere invitum*, dicente *Augustino*, apud supra laudatum *in Expugn. Orci p. 28 sq.*

§. IX. In triplici vitæ statu genus hoc Plutonis, vel nondum ligato, vel conjugali, vel soluto degere atqve operationes suas exercere diximus. Multæ enim à matri-

bus

bus diabolicis post ortum statim ad Orcum destinantur, ita utrin infantia & adolescentia varia magiæ jam edant specimina. *Casp. Schottus in Physica curiosa pag. 164.* refert, puellam quandam in decimo ætatis suæ anno pluviam, grandines & alia excitare potuisse, atque interroganti patri respondisse, didicisse se hæc ex matre. Similiter Johanna Harwilleria An. 1578. ingenue fatebatur, se à duodecimo ætatis suæ anno diabolo (qui specie hominis atri staturam humanam excedentis apparuisset) à matre fuisse oblatam atque desponsatam; uti pluribus memoriæ prodidit *Bodinus in Præfat. Dæmon. pag. m. 2.* & ex illo Ecclesiæ Christianæ splendidum sidus jam memoratum in *Felici suo Literato p. 159. seq.* qui nunquam satis deprædicandus Autor in *Expugnat. Orci*, stupenda de magia ante paucos annos in Suecia imprimis grassante perhibet. Vide sis plura *p. 172. seqq.* Speciatim verò *p. 126.* meminit puellæ, quæ, cum ad rogum damnaretur, in castello Roux regionis Berry, palam matrem incusaverit, ob institutionem in arte hac diabolica. Alia Saga tres filias & filium ad Satanicum opus perduxit *p. 131.*

§. X. Nonnunquam matres hujus farinæ atroque carbone notandæ, pejores sunt matre Pausaniæ, quæ ad includendum filium, lapidem ad introitum ædis attulisse perhibetur. Si enim ex Amasio suo Diabolo intelligant, liberos in pacto Satanico minus perduraturos esse, violentas illis injiciunt manus, & vi aut fraude corpus eorum, vitamque perdunt. Sicut enim olim Cananæi à cultu religioso veri Dei alieni Molocho, Idolo æneo, capite vitulino, reliquo corpore hominis formâ, Lyrano teste, infantes in sacris faciebant: Ita hæ matres, ab omni affectu materno alienæ, animam cum lædere non possint, corpus occidunt, atque vel in ipso utero, antequam usuram hujus

lucis

lucis capiunt, aut ſtatim poſt partum liberos ſuos enecant, atque Diabolo in holocauſtum offerunt. Quem Saxonici quondam Papiniani *Criminalia* non latent, nobis τῶν ἀμφοῖν hoc concedet. Memorat enim ille, Anno 1582. contigiſſe, ut Saga quædam inter tormina faſſa ſit, Malprichæ infantem in olla ſe coxiſſe, atque in omnium diabolorum nomine ſacraſſe, quo eo citius emoreretur. Valde enim Diabolus hiſce delectatur ſacrificiis, nec gratius quicquam ferè ei præſtari poteſt, ut Polyhiſtor inſignis *in Expugnat. Orci* pluribus teſtatur *p. 349.*

§. XI. Superſedeo alia adhuc adducere exempla, cum infra etiam hac de re differendi detur occaſio. Non infantes autem ſolum ad hæc cacangeli adducuntur ſodalitia; majores etiam natu ſeducere atque ad ſe trahere ſtudet. Heu quantus & ſatis amplus in hiſtoricis campus apparet! è quo numerum ingentem de mediæ ætatis hominibus, qui in adoleſcentia confœderationem nefandam inierunt, depromere poſſemus. Ancillam *B. Waltheri* loco omnium proferamus: Illa, referente charo Eccleſiæ Chriſti pignore, *Spizelio*, Satanicis ſuis vexationibus virum hunc de Eccleſia Chriſti meritiſſimum affligere non erubuit. Videatur honorificum Templi honoris ſcriptum *p. 274.* Johanna de Arques, vulgo la Pucella de Orleans dicta & 1429. Londini combuſta, ſi eſſet evictum, quod nonnulli produnt, & Angli affirmabant, ſagam eam fuiſſe, exemplum etiam virginis diabolo deſponſatæ nobis præberet; quam tamen hiſtoriam infra pluribus excutiemus. Multæ autem per faſcinationem etiam in adoleſcentia capiuntur & decipiuntur; cum diabolus ſagis cooperantibus mirabili modo poros corporis aperit, atque res ad id conducentes immittit; ut pluribus illuſtrat ſæpius citata *Expugnatio Orci p. 428.*

§. XII. Si jam exſpatiamur ulterius atque in nuptas inquirimus, haud exiguus ſagarum nobis ſe offert numerus. Nonnullæ enim in matrimonio ſtatim peractis nuptiis; quædam verò, poſtquam unam alteramque enixæ fuerunt prolem, uno alteroque actu mirando ſe prodiderunt. *Heerm. Gœbauf.* ſcribit, veneficam quandam confeſſam eſſe, poſtquam primo die nuptiarum cum novo marito conſuevisſet, altera nocte diabolum cum ipſa fuiſſe congreſſum. Mulier quædam Sabinenſis, ſcribente *Del-Rio* ex *Ghirlando, Lib. II. de ſort. q. 2.* maritum, qui in ſuſpicionem de ea venerat, verumque fuſtibus tandem expreſſerat, ad congregationes ſuas adduxit, ſuaque omnia illi ex indulgentia Satanæ patefecit. De Medea regina Jaſoni deſponſata hiſtoriæ multum loquuntur. Illa enim ſagarum quaſi primicèria multa peregit nefanda, brutis ac hominibus, quantum potuit, intulit damnum. Quem fugit dilaceratio illa crudeliſſima infantis filiæ Glaucæ regis Creonis? Illa enim vindictæ ſtudioſa ob averſum Jaſonem procum, & Creonis filiæ matrimonii vinculo conglutinatum, enecando innocentiſſimum, virus iracundiæ evomuit; *Bodinus Lib. I. Dæm. c. 1.*

§. XIII. Fatemur autem, maritos talium uxorum hac labe ſæpius eſſe contaminatos, mirumque omnibus poſſe videri, ſi liberi matris aufugiant illecebras, nec Satanicis impulſionibus relinquant locum. Imò multi ſentiunt, magos, qui tempore Pharaonis, regis Ægyptiaci, & Nebucadnezaris, regis Chaldæorum, Babeli extitere, in matrimonio habuiſſe ſagas, quarum concubitu perditum hoc hominum genus fimbrias ſuas latius extenderit.

§. XIV. Solutarum denique à maritali vinculo ſi vellemus recenſere catalogum, ac potiſſimas ſaltim extremis, ut ajunt, digitis attingere, numerum ingentem, imò innu-

innumerabilem colligeremus. Paupertas enim, ſolitudo, libido & aliæ viduitatis ſæpius pediſſequæ, mulierculorum inflammant animos, atque impellunt ut poſthabita Numinis reverentia ſocietatem diaboli ambiant, qui tenebricoſus Lucifer illis quàm citiſſime præſto eſt, easque infinitis pollicitationibus ad ſtudium & ſervitium incitat, quibus vincuntur ac perduntur. In viduarum autem harum ſodalitio dantur matres, nutrices, obſtetrices & ancillæ decrepitæ, quæ liberorum curam habere debent. Talis mater, Frotonis, Daniæ Regis, tempore extitit. Rex enim ille juſtitiæ tenaciſſimus legem ſeveriſſimam de pœna in fures exercenda tulerat, atque ſine diſcrimine quemlibet hujus criminis reum in furcam, porcorum inſtar perforatis pedibus, una cum lupo agi juſſerat, uti *Job. Iſaac. Pontan. rer. Danic. P. I. p. 23.* perhibet. Secuta verò eſt è ſeveriſſima hac animadverſione ſecuritas ingens, ita ut quilibet pecuniam in loco publico collocare, deque ea non ſurripienda certus eſſe potuerit; imo rex ipſe magnam auri ſummam in via regia ſepi impoſuit, quæ intacta per totum annum & ultra permanſit. Tandem autem vetula magiæ addicta ſuadet filiis, ut aurum hoc abripiant; ſe enim ab omni pœna illos liberaturam eſſe. Dicto matris obſequentes filii aurum furantur, aſt interjecto tempore à rege explorantur. Rex zelo permotus viam ingreſſus, ſingulari ſupplicio licentiam hanc mactare conſtituit. Saga regem appropinquare videns, ſe in vaccam, filios in juvencos grandes transmutat. Interea regis ſatellites in toto illo tractu omnia perveſtigant, nec quicquam exceptis his brutis inveniunt. Rex autem cupide in vehiculo eventum expectans, deſcendit, atque ipſe reos ſive fures inquirere allaborat, cum autem in prato herbaque recumberet, ſaga occaſionem arripiens, in regem repente

prosilit, cornuque in latus ejus adeo intorquet, ut ex vulnere spiritum emittere necesse habuerit. Vide sis *Petr. Danaus Disp. de jur. mer. imper. p. 25.*

§. XV. Nutrices certe non paucæ sæpius infantes Satanico suo genio infestant, ipsoque lacte venenum iis suum infundunt, vel si nutricis operam ob ætatem provectam ipsæ suscipere non possunt, nutrices infantum, quæ alimentum ipsis debent præbere, exsiccant, quo sæpius fame illis sit pereundum, uti *Ghirlandus de Sort. q. 6. num. 13.* pluribus docet.

§. XVI. Quantus obstetricum numerus jam gehennam ob crudelissima infanticidia inhabitat! Certe si ullius mulieris conditio Diabolo ad inserviendum allubescit, obstetricum genus ferventissime amat. Illæ enim variis & innumeris modis generi humano obesse & infantes aut in partu, aut post partum, nemine animadvertente, trucidare queunt. Possemus multas paucos ante annos Vulcano consecratas exempli loco afferre, quæ aciculârum impressione, suffocatione aut aliis modis, sanguinem & vitam infantum petierunt; sed duo ex *Sprengeri Mall. malef. p. 2. Lib. I. cap. 3.* adduxisse sufficiat. Refert autem ille, obstetrices duas in Episcopatu Basileensi concrematas fuisse, eo quod una quadringentos, altera innumerabiles pueros, recentes ab utero interfeciissent, inditis clam in eorum capita grandioribus aciculis. Et præterito seculo Comes quidam superioris Germaniæ octo Veneficas, quæ 140. infantes vita spoliaverant, Vulcano consecravit. His à Diabolo, non à Deo exstruuntur ædes, rogusque tandem illarum sepulcrum atque interitus. Melioris notæ erant Ægyptiacæ obstetrices: Illæ enim pueris vitam condonabant, non eripiebant. Quare etiam Deus domos illis extruxit, easque variis beneficiis affecit. Utinam

spur-

ſpurciſſimum hoc orci genus illud attenderet, nec mendacii patri fidem adeo haberet!

§. XVII. Anus tandem quod attinet, non exigua earum etiam eſt copia, quæ vinculo Plutonis ſunt ligatæ, eique obligatæ. Horrendum & tragicum ſane caſum Theologus per totum Chriſtianum orbem Celeberrimus *B. Dannhauerus* recenſet, cujus relationem primoribus ſaltim labiis guſtabimus: Fuit ſaga quædam, & ut circumſtantiæ indicant, famula, & netrix prænobilis alicujus familiæ decrepita, Maria Sprawelin dicta, quam diabolus eò adegit, ut Anno 1650. d. 11. Septembris in pago Nobilis alicujus, dicto Plosheim, non multum ab Argentina diſtante, prænobilem, atque piam adoleſcentulam, in decimo ætatis anno miſere faſcinaret: Nucem enim venenatam ab amaſio ſtygio acceptam fœmellæ illi dedit, atque ut comedat, variis modis perſuaſit. Quam primum autem nucis partem guſtavit, reliquam projecit atque acerbiſſimum ſtatim ſenſit dolorem, qui poſtea etiam ingraveſcebat, piamque puellam miſerrime excruciebat. Stant comæ, cum prolixam ſummi Theologi relationem mecum cogito, quô lueulentum omnino teſtimonium perhibet, Diabolum multa atque nefanda per hæc organa ſua poſſe perpetrare. Vide ſis plura in *Dannh.* Scheid-und Abſa-g-Brieff. Talis fermenti etiam Anna Haffnerin, vulgo Mülflerin appellata, fuiſſe videtur, quæ tres abducebat ad Satanam filios; *in Expugn. Orci p. 364.*

§. XVIII. Exoluto atque recenſito hactenus ſubjecto, in modum nunc inquiremus, quo in ſocietatem hanc peſtilentitiſſimam ſagæ perveniunt. Diximus autem ſupra, hoc peragi fœdere horrendo. Quemadmodum autem princeps ille tenebrarum Diabolus in plurimis ſimiam Dei agit, ita in hoc negotio ſe talem exhibet. Cum enim

enim Christiani per baptismum, fœdus cum Sancta Triade pangant, atque per totam vitam cultui divino adhærere se velle per susceptores suos profiteantur; similiter antiquus ille serpens suos novitios non admittit ante præstitum homagium, atque peractam factionem. Sicuti autem non una se nobis offerebat subjecti forma; Ita pactum hoc non uno, sed pro conditione subjecti vario peragitur modo. Dispescunt nonnulli horrendum hoc pactum in expressum & tacitum. *Expressum* dicunt esse, quando sagæ expressis verbis, aut scriptis Vejovi infernali se mancipant, Deo creatori suo, Christo Jesu redemptori, & Sp. S. ductori renunciant, & cultum Dei Triunius ejurant. Hoc autem iterum fit vel publice, vel privatim. *Publice* peragitur in mortem publicorum homagiorum. Quemadmodum enim quando princeps à subditis suis homagium accipit, multi satellites cum eo conveniunt, actusque magna cum solennitate celebratur; eodem etiam modo publicum fœdus, quod sagæ feriunt, in solenni fit congregatione sagarum, magorumque, nec non certis nocturnis horis à Dæmone constitutis. *Privatum* similiter fit expresso cum Dæmone pacto, & cum juramento, exclusa saltim omni solennitate pariter ac hominum cœtu remoto. *Tacitum* pactum præstant nuda stipulatione, atque pollicitatione, quandoquidem Christum non statim abnegant, interim tamen ministerio Dæmonis utuntur. *Delrio in disquisitionibus suis magicis* hujusmodi nefariæ pactionis triplicem modum esse & rationem, dicit. *Primus* inquit modus fit solennitate varia, & ipsi Cacodæmoni visibiliter in corporea aliqua forma apparenti, coram testibus fidelitas promittitur. Ejusmodi pactum inivit nobilis ille ditionis Leodicensis, narrante Cæsario Heistarbacensi, ubi dæmon loquens audiebatur, sed non cernebatur,

cui

cui (divitias honoresque ampliſſimos promittenti) miſer homagium præſtitit, ſuumque abnegavit creatorem. *Secundus* modus per libellum fit ſupplicem, quem Diabolo gehennæ Canditati exhibere haud verentur, qua ratione noſtra ætate Mantenſes in Normandia Magi libellum conſcripſerant Sibyllis, magiæ necromanticæ præſidibus eum oblaturi, cujus ſumma: Se orare Dominas, uti dignentur libros ſuos magicos conſecrare, ut mali ſpiritus per omnia ipſis obediant, ut ſupplices reddantur tuti à judicum inſidiis & punctione, ut cœpta omnia & ſtudia illis proſpere in aulis & amicitiis Principum ſuccedant, denique ne inimici ipſis nocere poſſint; viciſſim polliceri ſeſe, quod prædictas Sibyllas pro Dominabus & principibus ſuis perpetuo ſint habituri, & quotannis animas eis oblaturi &c. Hos tamen ſupplices omnes cum ipſis liberis captos, & Pariſiis combuſtos fuiſſe Creſpetus Lib. de odio Satanæ narravit. *Tertius* denique modus initur per vicarium, magum videlicet, vel tertium aliquem, cum paciſcens dæmonis aſpectum vel colloquium quidem reformidat, auxilium tamen ejus opemque per alium anxie efflagitat. Primum adductum modum ad pactum publicum referimus, ſecundum & tertium privato annumeramus. Quemadmodum autem fieri aſſolet, ut qui in mancipium alicujus veniunt, certo aliquo charactere, aut ſingulari veſtitu notentur, quo quilibet intelligat cujus ſint mancipia: Similiter princeps aëris, adverſarius ille nequiſſimus, mancipiis ſuis certam inuere notam aſſolet, quo eo ſanctius juramentum præſtitum obſervent, atque conſervent.

§. XIX. Volunt nonnulli, impreſſionem notæ non ſemper eſſe neceſſariam; ſed eum ſolum eas notare, quas metuit, ne cultum ſuum deſerant atque ab eo deſciſcant. Probabilius autem mihi videtur, nullam earum excluſam eſſe,

esse, cui non stigma aliquod impresserit. Evenit autem frequentissime, ut ea, quam inde accipiunt, cicatrix, sit exanguis, ut ne acus quidem altissime immissa aut dolorem faciat, aut sanguinis minimum eliciat. *Nic. Remigius in Dæmonolatria* sua luculentum hac de re præbet specimen; *Lib. I. c. 5. Non ita pridem*, inquiens, *hoc Spinalii re ipsa fuit comprobatum. Nam cum Isabella Pandæa ibi ob sortilegii crimen comprehensa, urbis præfecto partem corporis sui à dæmone inscriptam indicavit, subiit ei in animum experiri, verumne id esset, quod de ejusmodi stupore ferebatur; ergo jussit in eam aciculam penitissime infigi, quod cum in satis magna hominum frequentia esset factum, & incruentum omninò vulnus apparuit, & nullum saga doloris minimi indicium aspicientibus dedit.* Similiter *Petrus Gregorius in Synt. J. Un. Libr. 34. cap. 21.* testatur, quod Tholosæ anno 1577. plus quam quadringentæ veneficæ ad supplicium protractæ sint, quarum pars Vulcano sacrata, pars aliis tormentis sublatæ fuerint, & quod mirum, omnes illæ à diabolo notam inustam certo loco habebant. Multa de hac inustione loquitur *Expugnatio Orci p. 232. 277. seqq* nunquam satis laudandi scriptoris. Volunt autem nonnulli, testante Remigio, hanc inustionem fieri in signum perpetuæ servitutis, alii ne horam sabbati negligant. Unius autem rei & hîc plures esse possunt fines.

§. XX. De anno, quo fœdus hoc pangatur, non est, quod multis differamus, siquidem in evolutione subjecti jam aliquam injecimus temporis mentionem. Diximus autem, in qualibet ætate sæpius evenire, ut dæmoni se mancipent. *Gœhaus. in processu contra Sagas* meminit, puellam IX. annorum per novercam ad id adductam fuisse. *Carpzov.* aliquam dictam **Vogelmarsche** allegat, quæ ad

86. ætatis annum fœdere hoc nequisſimo fuit ligata. Quis itaque annum præciſe determinare auſit?

§. XXI. Potius ſubſcriptionem intueamur. Dicimus autem, eam fieri vel proprio ſanguine, vel alio liquore. Singula ferme pacta humana corroborantur ſubſcriptione, atque ex utraque parte, quo eo ſanctius omnia ſerventur, à conſentientibus nomina adſcribuntur; eodem etiam modo vetuſtus ille veterator pacta ſua, ne ſtatim fiant irrita, ſigillo ſubſcriptionis corroborat, ut ſtatim habeat, quod eis, ſi pacto ſtare nolint, monſtrare atque ante oculos ponere poſſit. Experientia etiam (optima teſtis) ſæpius nos docuit, licet converſio ſagarum in ſe non ſit difficilis, pactum tamen ſubſcriptione ſignatum eam reddidiſſe difficiliorem. Tantum & hîc valet, quanquam ſtultisſima, perſuaſio!

§. XXII. Subſcriptio autem ſæpisſime peragitur proprio ſanguine. Quemadmodum enim Chriſtiani per fœdus baptiſmale ſanguine Chriſti ſunt notati atque conſperſi, ut omnem ſpem & totius fiduciæ certitudinem in pretioſo illo ſanguine ponant: ita conculcator ejus peſſimus, diabolus, nullo modo eum magis conſpurcare atque irritum facere tentat, quam ſubſcriptione hac ſanguinea. Expoſcit autem hanc tam ab adultis, quam minorennibus. Sic Auguſtæ referebat *Joſeph Egmund Schultz*, ſe anno 1671. d. 15. Maji ſanguine proprio tinctum manuſcriptum, in membrana, nomine picto, obvolutoque muccinio, in media nocte, cùm hora undecima & duodecima agebatur, in compitum jeciſſe, atque pactum ſic corroboraſſe. Similiter in relatione de magia in Suecia ante paucos annos ibidem multis cum liberis peracta dicitur: ſatanam liberos ſeorſim ſumere, atque fronti notam inurere, vel in ſiniſtra lædere digitum parvum, ex eoque aut ipſum, aut per

ſagam, ſangvinis aliquam elicere partem, magnoque intincto calamo nomen infernali ſuo inſcribere protocollo; de quo etiam vide ſis *Max. Rever. Spizel. in Expugn. Orci p. 178 ſeq. 274. 357.* Nonnunquam etiam ſibi deſponſatas eò adegit, ut, ſi ob dolorem ſanguinem elicere ipſæ nolint, tamen leviter ab ipſo aut ſaga vulnerato membro aliquo, ſangvinem accipiant, eoque nomina ſua ſubſcribant. Sic de infauſto illo Fauſto *Widmannus* refert, proprio ſanguine ex leviter vulnerato pollice emiſſo illum ſe totum diabolo adſcripſiſſe, Deoque repudium miſiſſe. Ne autem ſaga aliqua huic ſubſcriptioni ſe ſubtrahat, aut impotentiam in pingendo literas objiciat, non multos verborum quærit anfractus, ſed ſaltim lineolas aliquas, quamdiu operam illi ſpondeant, certo jubet pingere numero, & hæc imperitorum ſubſcriptio illi cum peritorum eſt æquivalens, adeò, ut ſæpiùs lineolis hiſce ductis & ſibi traditis imprimis illiteratos quaſi fræno regat, &, ne deficiant, terreat. Horrendam Magdalenæ de Palud coram mago inſigni, Ludovico Gaufredo, abdicationem à cœtu Chriſtiano ſæpius laudatus ſcriptor perhibet *cit. loc. pag. 237.* Idem meminit, fieri etiam quandoque, ut duplex tradatur ſcriptum *p. 254.* Contra, nuda promiſſione nonnunquam, præſertim ſi candidatæ à juramento nimiopere abhorrent, eſt contentus; mille nimirum fraudum artifex, & per *συγκατάβασιν* omnibus ſe conformare non neſcius, modò miſeros homines decipere ſic poſſit.

§. XXIII. Subſcriptio autem hæc & promiſſio ad certum vel incertum ſe extendit tempus. Si ad certum, diabolus ſpondet, ſe tamdiu ad omnia perpetranda & efficienda fore adjumento; ne operationes earum detegantur curare, easque in ſingulis ad nutum beatas reddere velle; nunquam per hunc temporis curſum illas deſtitu-

tas

tas fore pecunia; omnia jucunditatis atque fortunæ oblectamenta ſemper futura eſſe paratiſſima. Ex altera parte ſaga ſpondet, poſt præterlapſum tempus corpus atque animam ſponte gehennæ ſe oblaturam, ſeque æternum ejus velle fieri mancipium. Ex hac deſignatione nonnunquam terror naſcitur ille magnus, in quem cum videant tempus deſtinatum eſſe præterlapſum, incidunt. Magnus ille *B. Carpzovius* etiam hac in parte nos informat; adducit enim *in Criminal. ſuis P. I. quæſt. 50.* ſagam, quæ ad ſexennium diabolo ſe obligaverat, non nudam ſaltim adhibuiſſe illam aſſertionem, ſed proprio etiam ſangvine ſex lineolas duxiſſe, quæ ſex ſignificare annos debuiſſent. Nonnunquam verò incertum deputatur tempus, atq; hoc in pacto tacito potiſſimum evenire videtur. Ne enim infernalis Draco jacturam ullius mancipii patiatur, pactum vario modo mitigare, atque emollire ſtudet. Vide exemplum apud eundem *in Criminal. d. l. n. 29.*

§. XXIV. Initiationis autem actum ſic perluſtravimus. Jam effectum & quid gehennæ illi Candidatæ efficere conentur, contemplemur. Jactant autem ſæpiſſime præſcientiam futurorum, imprimis quando ſint oriundæ tempeſtates, tonitrua & grandines; nonnunquam autem etiam amiſſa aut furto ablata conſulentibus poſſunt patefacere; colligunt etiam interdum ex hominis vultu, quemadmodum Cingari, ſecundam aut adverſam fortunam imminentem. Nominis nimirum omen habere volunt, ſagæ ſupra dictæ, quia ſagire h. e. præſagire & vaticinari audent; unde etiam in noſtris regionibus à nonnullis weiſe Frauen/ dici amant. Sine ulla verò difficultate ex futuris atque contingentibus illa, quæ ab ipſis dependent, prædicere poſſunt. Cum enim talia, juvante diabolo, perficiant ipſæ, ſciunt optime, ubi & circa

quod tempus ciere tempestates debeant, atque cùm certum tempus illis ab ipso sit indicatum, facillime hoc præsagire possunt. Deus tamen, cujus permissione opus habent, pro bonitate ac sapientia sua, exceptionem, quoties vult, facere omnemque conatum illarum frustrare potest. Facile itidem hominibus vela fortunæ pandere possunt; cum enim magister illarum facile ex antea peractis futura prævidere possit, sibi sacratas de illis certiores facit, ut quid mali sit timendum, quid boni sperandum, sciant, & prædicant. Sic Saga, quæ habitabat Endor, à Saule consulta, præsagiebat interitum ejus in crastinum; Diabolum enim Sauli animus, in desperationem actus, nec non Philistæorum ingens copia & apparatus ad prælium ineundum haud latebat; unde quid propediem immineret, conjecturâ poterat assequi, & per sagam prædicere. Quemadmodum autem homo ex signis cœli statum vitæ suæ sine temeritate, quid? sine impietate minime potest pervestigare, cum ab ipso Christo *Luc. XII, 29.* τὸ μετεωρίζεσθαι hoc est, speculatio superstitiosa cœli, sive ut Lutherus vertit, **das hochherfahren** sit prohibitum; uti egregiè de hac re disserit Avunculus æternùm colendus *Spizelius* **in Helden-Schrifft** *p. 19.* ita multo minus ab Orco aliqua delineatio sortis est petenda, nec à sagis absque summa in Deum contumelia, oracula exspectanda. Siquidem sortes nostræ in manu Domini, non diaboli; quare etiam nullo tempore apodictice sed saltim probabiliter eventum possunt nosse ac annunciare. Imò hæc præscientia non omnibus competit sagis; cum enim operationes Satanæ sint multifariæ, per singulas sagas non omnes illas exequitur, sed hanc magis ad illam actionem, illam ad hanc peragendam instruit, ut una in hac magiæ parte magis excellat, altera in alia.

§. XXV.

§. XXV. Mirabilia verò etiam faciunt; cum enim Magistri omnium artium periti sint complices, statim ab ipso illas varii generis incantationes perdiscunt, atque exercent. Notanter autem dico, *mirabilia* eas posse peragere, *non* autem patrare *miracula*. Ea enim, quæ sunt supra naturam, soli Deo competunt; miracula autem edere, omnem naturam excedit, ideò Deo soli sunt adscribenda. θαύματα nunquam Spiritus immundus fecit, aut facere potuit; benè tamen θαυμάσια. Sæpius etiam puras putas præstigias adhibet, & glaucomata spectantibus objicit, quibus affectæ illius Sagæ, oculos hominum decipere solent. Quare etiam non paucorum est opinio, veros serpentes non fuisse, qui à Magis Ægyptiacis è baculis fieri putabantur, sed per glaucomata saltim effeciſſe, ut spectatores, illos veros esse serpentes, per errorem crediderint. Potest etiam esse, ut diabolus non produxerit, sed celeriter adduxerit veros serpentes, præsertim in Ægypto, quæ Africæ provincia est, venenatorum animalium mater fœcundissima. Agyrta enim Dæmon est velocissimus, qui summa agilitate varia suæ artis potest dare specimina; uti Max. Rever. Dn. D. *Alberti*, Præses hodie meus plurimum honorandus, in *Colleg. Pnevm.* nos edocuit. Memini etiam sæpius me ex hospite Magdeburgensi *I. N.* cive ornatissimo atque bene merito audivisse, eum cùm adhuc Stolbergæ in ædibus paternis vitam degeret, sæpius ad vetulam aliquam, lac quæ vendebat optimum, tanquam emptorem fuisse missum, semper autem fores clausas, nec ipsum sine pulsatione admissum fuisse; eveniſſe autem aliquando, ut fores præter spem minus rectè fuissent obseratæ, introisse hinc eum atque cum stupore animadvertisse, eam ex clave mulgere lac. Hic sine dubio Amasius illius infernalis aliis in oppido surripuit lac, & huic, mira-

bili hoc modo, dono dedit. Conferatur Perillustris Dn. Seckendorffius im Christen-Staat *Lib. I. Cap. III. §. 5.* ubi asserit, multas sagas ex laqueo aut ligno magnam lactis copiam mulsisse, re ipsa autem compertum esse, incolas loci eo tempore lacte fuisse destitutos.

§. XXVI. Accedit ad mirabilia etiam transmutatio substantialis, & speciatim imprimis λυκανθρωπία. Multi existimant, veram illis nonnunquam contingere transmutationem, quemadmodum etiam scribitur, eas in picas mutari, in laudata *Expugnatione Orcip. 185.* Sed non inficias imus, divinâ potentiâ mutationem hujusmodi posse fieri, quemadmodum uxor Lothi in statuam mutata probat; sed diabolicâ operâ in sagis hanc perfici negamus. Quicquid enim præstigiator hac in parte agit, astutiâ peragere videtur. Sensum enim istarum muliercularum ita pervertit, ut existiment, se canes, feles, lupos, aut simile quid esse. Vel potest esse, ut diabolus nonnunquam formam assumat ejusmodi lupi, (Germ. Beer-Wolff) ut male credulum hoc hominum genus magis irretiat suis vaframentis. Interea, ut Wierius observat, ii, qui se in lupos credunt immutatos, immersi somno alicubi jacere comperiuntur, quorum somnia diabolus iis confundit imaginibus, quas hominum oculis præstigiose in pueris vel insectandis, vel devorandis, sive in armento lædendo, aut longe lateque hinc inde vagando objicit veterator ille.

§. XXVII. Illis verò, qui pii sunt, & ab omni cum diabolo ejusque mancipiis consortio abhorrent, per hæc sagarum artificia, rectiùs maleficia, nocere connititur. Duplici autem modo, vel indirectè, vel directè hoc tentat. Indirectè; varias tempestates, tonitrua, grandines ac fulmina excitando, quibus sæpissime fruges irreparabi-

le

le damnum accipiunt, hominesque fama laborare, nonnunquam etiam perire coguntur. Licet enim Deus auctor sit tempestatum, mittatque fulgura, *Job. XXXIIX.* ita ut sagæ ne guttulam quidem Deo impediente proferre possent; diabolo tamen permittit tanquam principi aëris, non ratione creationis, sed inhabitationis, ut nonnunquam ex causis naturalibus in pœnam & probationem hominum excitare queat tempestates. Potest etiam, ut peritissimus Physicus, hujusmodi aëris perturbationes sæpius ex causis naturalibus, vel congregatis in cavernis montium vaporibus sulphureis mirâ celeritate atque tempore inusitato in certam à sagis præscriptam regionem transferre, ibique turbas dare; quod est aliud μυρεπεχνίτε artificium.

§. XXVIII. Nequaquam verò pro lubitu hoc peragere potest, sed semper strictissimè permissionem divinam observare tenetur. Heu quanta, quanta nobis infligissent damna, nî à Deo bestia hæc immanis frænum pateretur! Totus jam periisset orbis, si Deus illi indulsisset; vehementissimè Jobi liberos ventorum vi abripere, atque opprimere potuit; servos etiam & pecora igne de cœlo delapso absumere: quid nobis non faceret, si semper posset? Cum autem Sagæ arctissima conjunctione illi sint adstrictæ, superstitiosa illis præscribit media (qualia esse solent: Certos scribere characteres, herbas quasdam aut pilos porcorum coqvere; scrobi effossæ aquam infundere; silices post tergum in occidentem ejaculari, torrentis aquæ arenam in aërem projicere, scopas in aquam intingere, cœlumque versus dissolutas spargere &c.) quibus fiunt illius synergæ, atque aliqua ex parte cooperantur. Nec interveniunt saltim, ut *Godelmannus* voluit, sed etiam ut ministri, quibus aliquis utitur, aliquid efficiunt; aliàs enim

expe-

experientia docuiſſet, quod ſublata Saga effectus nihilominus fuiſſet ſubſecutus; cujus contrarium communiter accidit. Exemplorum cùm ubique extet ingens numerus, ſaltim unum attingam. *Bodinus* refert ex Actis, quæ vocant, Inquiſitionis, Anno 1488. in diœceſi Conſtantinenſi aliquando grandinem & imbrem decidiſſe tanta vehementia & non ſine magno ventorum impetu, ut per quatuor milliaria variæ frũges damnum ceperint maximum. Cum autem agricolæ vehementisſime in ſagas inveherentur, duæ illarum interceptæ ſunt, Anna **von Mindelen** & Agnes, quæ primum quidem omnia pernegarunt; cum autem inquiſitioni committerentur, faſſæ ſunt, quamlibet die aliquo in agrum ſumptâ aqua, iviſſe, ſcrobem effodiſſe, atque circa meridiem aquam ſcrobi infudiſſe, quò tanta exorta ſit tempeſtas. Quemadmodum verò hoc ſatanicum genus tempeſtates movere, ita etiam facultate dæmonis fultæ eas removere poſſunt; ſuum in commodum inqve aliorum detrimentum; uti *Paulus Gbirland. de Sort. 9. 6. n. 17.* docet. Non autem ſolum tempeſtatibus lædunt, ſed & incendiis. Fincelius meminit, A. 1535. oppidum Sveviæ **in Kuntzenthal**/ſubito incenſum atque exuſtum eſſe; quod diabolus, operante ſaga, perpetraſſet.

§. XXIX. Directè ſimile quid tentat diabolus, idque vel mediatè, vel immediatè. Mediatè per intoxicata, & veneno miſta; quemadmodum ſupra audivimus, ſagam prænobili puellæ obtuliſſe nucem venenatam, quæ hujus eſu miſerrime torquebatur; Item quando occaſionem præbent eundi per loca putridis & virulentis habitibus ſcatentia, ut *D. Jac. Martini* exiſtimat, *in diſſert. de Act. Mag. §. 26.* Huc etiam pertinet, quando corporibus aliorum immittunt vermes, aut erucas, communiter **Eben** vel **böſe Dinger**/unde intolerabiles cruciatus. Ludit diabolus

bolus hac ratione cum lamiis ut circulator, qvo ſibi perſvadeant, omnia ſuis incantationibus, pulveribus & ſignis eſſe adſcribenda; Cum tamen ſolummodo ab ipſo proficiſcantur. Quemadmodum autem ſupra diximus, ſagas ciere & removere tempeſtates poſſe; ita etiam aſſerimus, morbos inflictos per ſagas (ſalva Theologorum ſententia, qua Magicam hanc Medicinam non negant, ſed improbant & prohibent,) curari poſſe. Exempla ſi lubet inſpicere, duo proferamus. De Carolo Martino Præfecto Laodunenſi refertur, eum cum audiviſſet in vicinia pauperem mulierem, in Valle à Saga eſſe faſcinatam, miſericordia commotum, ſagæ necem interminatum fuiſſe, niſi morbum fœminæ illi adimeret. Itaque illa ad pedes cubilis venit, vultum in terram demittens, manus jungens, diabolum maximum magna voce appellans, ſubinde preces renovans, voces incognitas aliquot repetens, fruſta panis ægrotæ tradit, quæ eodem momento cœpit convaleſcere. Contigit etiam meo tempore in aliqua urbe, ut vir quidam magnæ dignitatis certo tempore cruciatus & dolores ſenſerit ingentes; tandem vetulæ maritus ebrioſus faſſus eſt, ſe ſuamque conjugem illi hoc paraſſe balneum, quo audito, ulterius Magiſtratus inquiſivit, fatente tandem reo, ſe, cum eqvus illius in finibus ſuis ſæpiſſime paſtum iviſſet, tandem concluſiſſe, damnum hoc alio modo ſe vindicaturum eſſe; quare una cum vetula ſe aliquando ex ſingulis equi veſtigiis partem arenæ ſumſiſſe, atque in merſupium repoſuiſſe, quod conjux in camino ſuſpendiſſet, idque ſingulis diebus circa meridiem aciculis grandioribus punxiſſet, ex quo dolores ingentes & acerbiſſimos ille hauſiſſet; compertum etiam eſt, ſtatim poſt intermiſſionem illius punctionis & abjectionem marſupii nullum eum amplius cruciatum animadvertiſſe.

§. XXX. Nulli autem ætati videntur parcere; infantes enim cum adultis infestant sæpissime, nec est, ut de illis amplius quid proferamus, cum supra jam notaverimus, quomodo baptizatis & nondum baptizatis insidientur; hoc saltim addam, eas ex coctis infantium corpusculis unguentum suum, quod in Italia unguentum paganum audit, conficere, eoque sanis obesse.

§. XXXI. Adultos autem variis lædunt modis, speciatim etiam pestilentissima illa ligatione, quæ conjugibus magno est impedimento. Diabolus enim, spiritus immundus & fornicationis patronus, ordinem sacrum conjugalem non uno modo infestare studet, ac imprimis hoc nefando, quo animus conjugum concors diveliatur, & pactum venerabile rumpatur. Licet enim naturalibus non destituamur causis; quæ coituris possint esse impedimento; ille tamen stygius veterator nonnunquam cum assectis suis nequissimis hoc operatur, inque ipsis nuptiis novos conjuges magicè ligat. Modus videtur esse in aprico; vulgo enim seram in ipso copulationis actu cum incantatione claudunt, eamque una cum clave in aquam aut puteum projiciunt, aut ligulas implicant, unde diabolicum hoc scelus etiam **Nestel-verknüpffen** dicitur; quanquam Scholastici & Casuistæ communes modos impedimenti recensent quinque, quos apud illos vide. Nam juveni mihi honestas indicat silentium.

§. XXXII. Utrumque autem nonnunquam ligant sexum; masculi tamen est frequentior. Conferator *Gerhardus Tom. VII. Artic. de Conjug. 66.* atque *Godelmann. dict. tract. Lib. III. c. 6.* Exemplum nobis sistit Celinde, quæ in ipsa nuptiarum solennitate à mago attacta deliquium animi repente passa fuit; *Expugn. Orci. p. 248.* Probabile vero est, quod Casuistæ tradunt, maleficium illud ligaminis

liquando esse absolutum seu universale, aliquando tantùm respectivum, puta respectu solius conjugis: aliquando perpetuum, aliquando temporale. Dubito verò de absolutè perpetuo. Quemadmodum enim nullam Pluto infernalis possidet potentiam absolutam, sed semper illa ad beneplacitum Altissimi est restricta; ita etiam hac in re permissum temporis spatium nullo modo potest ampliare atque prolongare, sed cum fuerit præterlapsum, nodum iterum solvere tenetur. Quicquid etiam hac in parte Medicis est impossibile, sagis evadit possibile; possunt enim, imprimis si ligamen adhuc possideant, aut illud recuperare possint, facilimo modo iterum nodum rumpere, eoque conjuges liberare. Exemplum vide apud *Paulum Ghirlandum in Sort. 6. n. 15.*

§. XXXIII. Atque hac ratione mediate sagas hominibus nocere probavimus; jam, immediate hoc eas etiam præstare posse, ostendemus. Immediate verò dicimus nocere sagas, si sine ullo adhibito instrumento per se ipsas damnum aliis infligant. Communiter verò sic sagæ visu lædere, atque, ut vulgo putatur, infantes emaciare dicuntur; probabilius autem videtur, non intuitum, sed halitum venenatum ex oculis aut ore quandoque emissum id præstare. Deinde multum etiam potest pusillanimitas, & pavor aspicientis conferre. Nam qui vetulam extimescit, tum male compositum vultum intuetur, sua sibi cogitatione malum conflat. Nemini etiam imaginationis vis potest esse ignota, (de qua integrum librum conscripsit doctissimus Medicus, *Th. Fienus*,) ex qua non leves sunt motus spirituum & humorum, qui per eam excitantur & varias alterationes producunt. Simile quid *Plinius Lib. VII. cap. 2.* & *Gellius Lib. IX. N. A. c. 4.* de Triballis & Illyriis tradit, qui visu effascinarint, quos diutius sint intuiti.

§. XXXIV Non visu autem solùm, sed quaudoque invasione ipsa homines infestare assolent. Sic *Casp. Goldwurm* refert, in diœcesi Argentinensi, sagas lignarium aliquando, ut ipsi videbatur, sub grandium felium forma invasisse, atque gravissime vexasse, ut tandem commotus fuerit, vim vi repellere, atque rutro se defendere, quem postea eventus edocuerit, eum non feles, sed sagas vulnerasse.

§. XXXV. Quemadmodum autem homines, ita bruta quoque, ut eò magis hominibus noceant, nonnunquam lædunt. *Sprengerus in maleficio* meminit Sagæ, quæ tres & viginti equos mercatoris Ratisbonensis affecerit morte, dixeritque fossam tantummodo à se factam esse, in quam pulveres à diabolo sub limen januæ injecti fuissent. Nequaquam autem omnia bruta morti tradere conantur, sed plurima si possunt reddunt inutilia, lac suffurando, abortus procurando, vires debilitando, aliaque damna inferendo; de quibus omnibus nobis tacentibus experientia satis superque testatur.

§. XXXVI. Quicquid autem vel hominibus vel brutis nocendo hac in parte præstant, Dei permissione saltim faciunt. Vide supra §. 7. Antistes Magdeburgensis quondam, de Pastore Neopoleos retulit, Sagam 1653. Wolmirstadii combustam, fassam esse, voluisse se sæpius Pastorem illum in periculosum morbum conjicere, nunquam autem, Deo nolente, potuisse. Quem fugit etiam judices lædi ab iis minime potuisse, licet voluerint? Atque hoc singulare privilegium judicibus à Deo concessum esse videtur, quo sine metu justitiam exercere possint. Idem verò & aliis piis hominibus competit. Sola nempe illa ad omnia utilis Pietas, ardentibus cottidie precibus fulta, satanicam potentiam repellit, atque avertit, quod exemplum

plum Rostochii in judice corroborat; Illi enim, perhibente *Godelmanno*, Diabolus à saga imploratus, damnum inferre voluit, in carcerem autem ad sagam reversus, dixit se nihil exequi potuisse, propterea quod precibus Deo se commendasset. Deficiente verò Dei permissione, brutis etiam diabolum & sagas nihil mali infligere posse, impotentia & petitio Diaboli, quo migraret in sues, ad oculum demonstrat *Matth. VIII. 31.*

§. XXXVII. Vidimus hactenus rem quam habeant cum hominibus; jam ad enarrandam conversationem, quam sæpissime Acharontica illa gens cum dæmone instituit, pergimus. Offert autem hic se nobis vexata illa, & à multis prolixè tractata quæstio, num sagæ ad conventus suos à Diabolo revera portentur aut abducantur? Nos per duas propositiones particulares totam rem breviter expedimus. Aliquando nimirum verè, aliquando tantùm apparenter id fit. *Vere*, quando revera atque σωματικῶς transportantur; *Apparenter*, quando incantationibus diabolicis deluduntur, ac somnis ecstaticis atque profundis mentes illarum obfascinat veterator, ut volare, comessari, saltare videantur sibi. Ab hac nostra sententia Andius ille sine Bono, uti à nonnemine anagrammaticè salutatur, *Joannes Bodinus*, discedit, existimans, abreptionem apparentem etiam fieri revera, hoc saltim discrimine, quòd animus tantùm abripiatur, corpus verò inanimatum domi relinquatur. Sed hanc sententiam esse absurdam, sole meridiano clarius apparet. Quis enim solutionem animæ à corpore dicet sine interventu mortis fieri posse? Si mors intervenit, reassumptione corporis dæmones mortuos resuscitare posse sequitur; quod miraculum, & solius Dei proprium, artibus autem magicis nulla ratione, ut supra diximus, effici potest. Nostr. ve-

rò assertio probari potest ab experientia, possibilitate, atque confessione sagarum. *Experientia;* Ita *Delrio* adducit mulierem, quæ maritum secum duxerit, qui tamen cum non decenter se gereret, atque inconsiderate nomen Dei eloqueretur, recedentibus confœderatis mansit solus in loco abrepto, re ipsa expertus, non inanem illam aut imaginariam fuisse abreptionem. Et quis animo vellet fluctuare, Diabolum hac gaudere *possibilitate*, cum non excedat vires diaboli? Spiritus enim licet sint diaboli, formas tamen assumere corporeas possent, si opus haberent, quibus mediantibus operationes tales edere valerent. At verò his ambagibus non videtur opus esse. Quæ enim hac in parte est bonorum angelorum potentia, ea & malorum. Jam autem exemplum Habacuci translatum notum est; E. & diabolis competit potestas in sagarum corpora transportanda. Nam qui essentia conveniunt, illos etiam in naturali potentia convenire concludimus. Præterea, ab actu hic quoque ad potentiam V. C. Celebris est apud antiquos scriptores Simonis Magi evectio in sublime. Vid. *Epiphan. hæres. 23. Euseb. Lib. XII. cap. 14. &c.* E Recentioribus refert *Lutherus ipse in Colloquiis Mensal.* Diabolum sacerdotem Halberstadiensem, Magum, dictum Joannem Teutonicum, Anno 1217. noctu abripuisse, atque in tres urbes duxisse, in quibus Missam in festo Nativitatis Christi celebrasset. *Confessio* etiam unanimis sagarum veritati magnum videtur accendere lumen; licet enim non omni, nec semper sit credendum, quoniam diabolus quandoque mentes illarum effascinat, tamen si ἐμοθυμαδὸν hoc asserunt, non possumus non aliquem illis relinquere locum.

§. XXXIIX. Apparentem abreptionem iterum experientia atque possibilitate claram reddere possumus.

Mega-

Megalander noſter *Lutherus* meminit iterum hiſtoriæ ex Joh. Keiſersbergio, quod vetula aliqua ut prædicatorem argueret mendacii, qui talia docuerat eſſe falſa, ſerio eum vocaverit, & adſpectante illo ſeſe inunxerit, ſedensque in furca, jamque volens evehi, ſtatim obdormiverit, & quibusdam geſtibus hinc inde ſe moverit, donec de ſcamno deciderit, & vulnus in capite acceperit. Sæpius etiam laudatus *Carpzovius* de Saga quadam ſcribit, *Crim. II. q. 48.* quod quæſtionibus expoſita confeſſa ſit, ſe ea ipſa nocte ac hora interfuiſſe luſibus diabolicis, qua maritus juramento præſtito aſſeruerit, ſe eam tum in lecto diligenter obſervaſſe.

§. XXXIX. De Tempore ſi quæratur, hi conventus imprimis in diem Walpurgis incidere dicuntur. Dicitur autem ille à virgine hujus nominis in cœnobio ad urbem Eiſted in Bavaria, ordinis Benedicti, perhibente *Dreſſ. de Feſtis p. 98.* quo die alias Philippi & Jacobi Apoſtolorum celebratur feſtum. Jungitur huic Johannis & Jacobi feſtivitas, quâ ſolenniter conveniunt. Veroſimile tamen eſt, non omnes ſemper convenire, ſed jam hunc pagum, jam illum ſeorſim comparere; uti ſupra prædicatus Vir omni doctrina politiſſimus in *Exp. Orcip. 182.* docet.

§. XL. Locus in diverſis regionibus eſt diverſus; plerumque autem comitia in ſylveſtribus, montanis vel ſubterraneis atque ab hominum converſatione diſſitis locis habentur. *Mela Lib. 3. cap. 44.* montem Atlantem nominat; *de Vaulx* Magus Stabuleti decollatus, fatebatur 1603. in Hollandia congregationem frequentiſſimam fuiſſe in Ultrajectinæ ditionis aliquo loco. Nobis ab hoc conventu notus atq; notatus mons Bructerorum, Melibocus aliàs dictus in ducatu Brunſvicenſi, vulgo der Blocksberg oder Heweberg, Peucero der Brocksberg & Tilemanno Stel-

le

læ der Vogels-Berg/ perhibente *Ortelio in Thesauro Geograph.* Sed cum de re ipsa jam disseruimus, de loco non adeo solliciti sumus. Vide sis etiam librum sæpius commemoratum *E. O. p. 309. 328. seqq.*

§. XLI. Ultimum ac quidem pessimum actionum jam aggredimur genus, nefandum nimirum atque spurcissimum cum diabolo congressum, quem nonnulli reverà fieri asserunt, alii autem, & quidem, uti videtur, melius inficiantur. Illi pro sua sententia tuenda afferunt corpora cacangelorum assumta, quibus mediantibus cum sagis coire possint. Sed, licet illa nonnunquam assumere possint; negamus tamen, actiones sic posse perpetrari eas, quæ à sola dependent humanitate, qualis est generatio. Jam autem cuilibet constat, ad eam spectare semen, quod non nisi ab alimento descendit; unde autem angeli alimentum capiant, cum essentiæ sint spiritualis? Quare nullam materiam etiam generationis, hoc est, semen habere possunt. Sed assectæ hujus sententiæ objiciunt: quod non habet per se, potest possidere per accidens dæmon. Cum enim sit spiritus callidus, facile alii surripere, sagæque infundere poterit. Sed, quanquam in aliis rebus talibus possit uti præstigiis, nequaquam tamen illæ in generatione locum inveniunt. Nam generatio non admittit tot ambages, ut semen, tanquam valde spirituosum, prius surripi, deinde integrum & validum transferri, & tandem in uterum sagæ immitti possit. Sed, quò rem suam stabiliant veræ generationis assertores, obtrudunt locum illum decantatissimum *Gen. VI. 4.* Ex hoc, inquiunt, luce clarius patet, dæmonem cum sagis posse coire; expresse ibi enim asseritur, quod filii Dei, qui dæmones, ingressi fuerint ad filias hominum. Nolo fabulam ex nugarum pleno Zenorenna à *Maxime Rev. Dn. D. Pfeiff.* adductam pluribus recoquere, atque

atque, quinam illi filii Dei fuerint, eruere; videatur ejus *Præf.* der Erquick-St. *Schamchaſſai & Uſiel* fornicatoribus atque ſpurciſſimis angelis; nobis autem ſufficiat inpræſentiarum ex *Biſelii Ruinis Illuſtribus Dec. I. pag. 287. & 288.* ſimile figmentum afferre: *Filii Dei*, inquit, *non angeli, ſed homines, divinis olim addicti; poſteri Sethiani, ſtirps humana. Sane deliriis hiſce plurimum, ac præter omne meritum, angelorum eſt infamata natura: quæ reverà tam corporum, quam deſideriorum Veneris expers eſt: ac quando, malus in ſpiritibus, uſum tori vel exercet, vel patitur, eam illa voluptatem obſcœnam mentitur, non experitur. Mentitur igitur & Mahomedes ſacrilegus, dum Harodum & Marodum cœleſtes genios narrat, à Deo quondam in terras eſſe miſſos, ut mortalium in mores, ac tribunalium præſertim æquitatem, inquirerent; eos autem in ædes incidiſſe, pernoctandi gratiâ, quarum dominus domo tunc abeſſet; ſola verò præſens eſſet, elegantis formæ, materfamilias. Hanc eos, poſt accuſatum apud illos, ſolitis uxorum querelis, virum ſuum, adhibuiſſe menſæ: cœnatosque delicatiſſimis epulis, vini generoſioris copiâ, perlaute tractaſſe. Verùm illos, cibis inſartos, ac temeto ſaucios, in hoſpitæ cupidinem exarſiſſe: ſollicitataque conatos opprimere. Mulierem ſpopondiſſe, gratificaturam ſe, ſi priùs ab eis, quânam viâ tenderetur in cœlum, & indidem rediretur, didiciſſet. Id angelos ei confeſtim, quanquam arcanum ingens, aperuiſſe. Sed illam hâc uſam notitiâ, delusâ geniorum exſpectatione fœdâ, ſurſum in cœlum evolaſſe: tantique ſceleris tentati reos, apud Deum, angelos peregiſſe. Secundum quæ, mulierem quidem accuſationis retuliſſe pretium; uti Veneris in ſtellam transformaretur: Harodum autem & Marodum ſollicitationis improbæ reportaſſe pœnam: ut ingenti ferrea relegati catena, capite, corporeque medio tenui, Babylonis, neſcio quo puteo demerſi, pedibus*

ſurſum verſis, penderent; laturi tormentum hoc, & tam cruciabile ſupplicium, quoad homines terra ferret. Hactenus *Biſſelius.* Nugæ! Rectiùs, uti ſimplicius, ſtatuitur, filios Patriarcharum id temporis rem cum filiabus hominum profanorum habuiſſe. Quod autem congreſſum *prolificum* cum ſagis attinet, mihi præ aliis arridet ſententia Præceptoris ac Promotoris mei *Dn. D. Alberti* in Collegio Phyſico data, diabolum non adhibere ambages, furando & transferendo ſemen alienum, ſed quando rem videtur habere cum ſaga, loco ſui ſupponere magum, quod facillime præſtare poteſt per præſtigias. Conſulto autem dixi: *prolificum.* Nam qui talis non ſit, à diabolo per præſtigias, adhibitis certis inſtrumentis, facile fieri, & ſagæ titillando falli poſſunt. Plura de hac re diſſerit *D. J. H. Pott*, quem vide ſis in *Tr. de coitu nefando ſagarum.*

§. XLIII. Atqve ſic hiſtoriam ſagarum, qvantum in nobis ſitum fuit, pertexuimus; placet ex *Biſſelio* adhuc eam inſigni diaboli facto claudere. Quemadmodum in omnibus ſe ut ſimiam Dei; ita etiam Dei inſtar poſt exhalationem animæ ſe feciſſe Divas ſuas vult videri. Doctiſſimus ille Jeſuita in *Dec. II. Ruin. Illuſtr. p. 277. Nos*, inqvit, *annis abhinc quinque ſupra viginti ſagam novimus, aniculam: quam, plurimorum licet ſcelerum ream, ac ſathanici concubitus damnatam, Sathanas tamen Divam facere conatus eſt. Eam enim, poſtquam, ſub Auguſti menſis exordium, carnifex funeſtrangulatam, in cineres incendio redegit: nocte proxima mulieribus, eorundem criminum participibus, Lucifer infernus exhibuit cum radiis circum caput, admirabiliqve totius corporis ſplendore glorioſam. Id agebat, ut illam & Deam, & cœli compotem eſſe, mulierculis probaret, confœduſtus* (ita dicebant priſci, pro fœderatis: ut eſt apud Feſtum) *ejus: quo minus formidarent.*

CA-

CAPVT III.
PORISMATICVM.

PORISMA I.

Revera dantur Sagæ.

SEquitur hoc ex dictis; contra Atheos eorumque agnatos, qui diabolum & consequenter sagas quoque negant. Refert *Petrus Mamorius*, observante Polyhistore insigni *Spizelio* de Gvilielmo Lurano, à *Bodino* M. Wilhelm de Line dicto *c. l. p. 8.* Doctore Theologo, accusato magicarum artium, condemnatoque A. 1453. 12. Dec. quod diabolo promisisset, se prædicaturum, fabulas esse, quicquid de magis dicatur; quin etiam penes ipsum mutuæ obligationis instrumentum fuisse inventum, quo egregius scilicet iste Theologus dæmoni fidem dederit, juraveritque, se publice docturum, nullam prorsus ejusmodi de sagis sermonibus fidem esse tribuendam. Hujus farinæ Petrum de Apone, medicinæ Doctorem, etiam fuisse *Bodinus Dæm. p. 7.* memorat, qui nullos esse spiritus, nec sagas acerrime propugnabat; eventus autem docuit, eum maximum in Italia fuisse magum. Ex hac perversa defensione fluit etiam nonnullorum de pœna sumenda sententia mitior, siquidem hac ratione Abrahamus Palinghus sagas adversus judicum severitatem defendit. Wierius etiam quo minus Præceptorem suum, sua ætate Magorum principem, Cornelium Agrippam nec Dominum secum ducentem, illius nigrum canem, h. e. diabolum offenderet, neutiquam illas esse puniendas, evincere conatus est.

PORISMA II.

Strigeportium Jus Canonicum c. Episcopi, 26. qu. 5. perperam negat.

DE veritate judicii hujus noſtri è ſupra dictis conſtat. Nec Juris Canonici autoritas contra rationem & experientiam quicquam valet. Quomodo verò Cadmei fratres in Papatu hic invicem pugnent, vide apud *Voetium diſſp. ſelectar part 3. p. 579. ſeq. Laborant quidem*, inquit ille, *ut Jus Canonicum poſt emendationem Gregorii XIII. diſerte in negatione Strigiportii perſtans cum communi modernorum ſententia & Bullis Innocentii VI. Julii II. Adriani VI. Clementis VII. concilient: ſed fruſtra. Del-Rio ad deſperationem adductus Libr. V. Sect. 6. & 16. nodum rumpit, fuſe diſſerens, Canonem illum nullius eſſe auctoritatis.* Optime. Bene dicenti nos applaudimus.

PORISMA III.

Neutiquam licitum eſt à dæmone petere aliquod officii genus, puta conſilium, ſanitatem & ejusmodi, etiam citra pactum, neque etiam ea obſequia oblata acceptare.

CLaret è ſupra dictis. Non enim facienda ſunt mala, ut eveniat bonum; juxta Canonem Juris Nat. repetitum à Spiritu S. *Rom. III. 8* Contra Jeſuitam, *Leonardum Leſſium*, ſtatuentem dicentemque *Lib. 2. de juſt. cap. 44. dubio 10. licitum eſſe, petere verbo à diabolo, ut deſinat nocere, modò id non petatur deprecando.* Sed *noſtra aſſertio firmiter tenenda eſt ab orthodoxis*; ut rectè ex ipſis Pontificiis inquit *Raphaël de la Torre, Theol. D. & primariæ Cathedræ Salmanticenſis Profeſſor, ſummæ Theologicæ. Tom. II. pag. 150.* ubi Raphaël hic de illo Satanæ patrono pluribus triumphat.

PORISMA IV.

Impie Pontificii nonnulli matrem Lutheri pro Saga habuerunt, ſicut Patrem pro diabolo.

Con-

Consequentia est firma: Matri Lutheri non competit definitio sagæ; Ergo impie illi tribuitur definitum; Contra calumniatores è Papistis. *Fontanus* enim non erubuit asserere, ex concubitu Dæmonis incubi cum matre Saga (quam *Sapius* balneatricem fuisse scribit) hanc prolem, Lutherum, esse natam. Eodem modo cum *Joh. Naso*, hoste Lutheri infensisimo, *Gretserus* prodit, Patrem illius fuisse Satanam, qui in forma incubi assumpta, cum matre coivisset. Idem sentit infamatus ille Roßlöffel *Cochlæus*, nec non *Benedictus Genebrardus, Professor Paris. in Chronolog.* aliique, uti adnotat *D. Hoë in Triumph. Luth p.* 3. Quemadmodum autem frequentisime hæc videtur mendaciorum esse natura, quod testante *Lactantio*, cohærere non possint: Ita etiam singuli hujus atrocis mendacii Autores circumstantias alio modo enarrant; nonnulli enim in balneo, uti *Serarius*, alii in ædibus Lutheri, uti *Wierius*, alii in cœlibatu, alii in conjugio nefandum contigisse concubitum, referunt. Sed Deus te increpet, Satanas! Tanta verò hujus mendacii est fœditas, ut nonnulli Pontificiorum hoc ipsi refellant & coarguant. *Florimundus Ræmundus*, perhibente *Dannhauero in memor. Lutheri p.* 5. Consiliarius quondam Regis Galliæ, ex Calviniano Pontificius factus, sub cujus nomine Jesuita Ludovicus Richeomius in scriptis latet, attestante splendido Ecclesiæ Hamburgensis quondam Sidere, Avunculo meo desideratisimo, *D. Ant. Reisero*; (cujus Dn. Fratrem una cum tota sua & illius familia, clementia divina Numinis prosperitate, uti valetudinis & fortunæ, quam diutissime largiatur!) in Erinnerung der Ursachen/ *præfat.* & successore dignisimo *Dn. D. Mayero in Vind. Luth. Apoc. p. 68.* candidè: *Ego*, inquit, *matrem Lutheri cum Dæmone rem habuisse, pro vero affirmare nolo.* Huic etiam consentit *Henricus Spondanus*

Apomiarum in Gallia Episcopus, qui nullo modo in *Annal. Baron. ad A. 1517.* Lutheri matrem in crimen vocat, sed potius hanc prolem ex homine, sicut cæteros homines, procreatam esse affirmat. Pluribus mendacium hoc castigatum videsis in *D. J. Mulleri Defenso Luthero & defensione defensi Lutheri.*

PORISMA V.

Johanna de Arc non fuit Saga, sed heroina.

NItitur eadem, quâ prius, consequentia. Fuit autem hæc Johanna de Arc, aliàs insignita pucelle de Orleans, ovibus primum pascendis operam dans, A. 1429. celebris in Gallia, & in ducatu Baarensi Lotharingiæ, penes Vocoleur nata. Contigerat tum temporis, ut Angli duobus commissis præliis, victores atque dominatores totius fere Galliæ evaderent; sed hæc puella animo erecto atque magno profitebatur, se adjutricem Carolo VII. in bello futuram, Anglosque feliciter à finibus Aureliæ, pulcherrimæ ad Ligerim urbis, profligebat, Regemque armata manu Rhemum ad coronationem ducebat; oppugnatis autem atque expugnatis multis urbibus tandem ab Angelis capta atqve sub prætextu veneficii, quod ex variis rebus semper feliciter gestis concludebant, 1430. Rotomagi combusta est; familiam illius Carolus ille nobilitavit, unde posteri de Lys nomine notabantur; Uti pluribus hoc refert *Zeilerus* in Reiß-Beschr. durch Franckr. *cap 3. Steph. Pasquier, Richardus de la France Lib. 6. cap. 4. & 5.* Quò etiam gesta ejus ad posteros transmitterentur, statua, in qua imago illius sculpta, sagoque induta cernitur, erecta, atque in pontem Aurelianum posita fuit; quemadmodum hoc etiam ex discursu Geographico *Plur. Rev. M. Güntheri* didici. Dicimus autem eam non sagam sed heroinam fuisse, per

repe-

repetitam (à definitione ad definitum, negative quoque) consequentiam. Possent quidem actiones ejus, feliciter semper peractæ, atque à muliebri genere alienæ aliquam gignere suspicionem; sed quem fugit, fortunam audaces juvare, atque nonnunquam mulieres, viros antecellere multis? Clare hoc nos illa inter columbas enuerita Semiramis, primum Menonis, dein Nini uxor, edocet; illa enim animo virili hostes plurimos repulit, atque incomptis crinibus ad prælium festinavit. Videsis post antiquos Scriptores è junioribus *Biss. Ruin. Illustr. Dec I. p. 462.* Quicquid verò uni potuit contingere, illud etiam de alia conjicere non erit absurdum.

PORISMA VI.

Mulier quæ Attilam à finibus Augustæ retraxit, Amazonum similis, non saga videtur fuisse.

Cum nuper in Patria dulcissima Evangelicæ veritatis scatebra, ut *D. Schupp. in Apolog. p. m. 205.* audit, per aliquod tempus essem, etiam antiquitatem illam celebratissimam, ac in turri Minoritarum egregie ad iconis adjunctæ modum depictam, de muliere scil. illa audace Attilam in fugam conjiciente, contuitus sum oculis, quam Sagam vulgo credunt fuisse. Videtur enim multis hoc certum, ex actione illa haud vulgari, qua ter repetita, voce horrenda RETRO, Attilam totius id temporis orbis fere hostem, atque devastatorem pessimum, nec non flagellum Dei gravissimum, à finibus Lyci feliciter repressit. Copiam inscriptionis fecit mihi Amicus, Cognatus atque Fautor colendissimus, Symmysta Augustanus *M. G. Spizelius*, ex refertissima Parentis Bibliotheca, quâ adscripta tota historia clarius sese habebit.

Pictu-

Pictura & inſcriptio in turri hoc modo ſe habet:

ATTILAM. ANNO. CDLIV. FANATICA. MULIER. IN. LICI. TRANSITU. CONSTERNANTER. HORRENDE. INCLAMANS: RETRO ATTILA.

Heupoldus totam rem ſequentibus latino & vernaculo idiomate ſcriptis diſtichis incluſit:

Anno

Anno quater centesimo
Quartoque quinquagesimo
Partum sacræ post virginis
Audax, furensque fœmina
Perterrefecit Attilam
In transitu celeris Lici
Ubi vires recolligit,
Ter clamat alto murmure
Fugam capesse ô Attila.
Res ut vides hæc integra
Hominum duorum nititur,
Nempe Attilæ, atque Fœminæ
Ut nunc canam, fundamine.
Oenotrium postquam solum
Furens reliquit ultimo,
Ibat domum cum milite.
Præterque spem sic accidit,
Occurrit illi percita
Oestro, caballo fœmina,
Clamore rumpens sidera,
Magno terrore consonans
Dilecte nobis Attila,
Fugam salutem quærito,
Omnes abominabili
Hoc territi sunt omine.
Velut viatoris lepus
Transversa tentat limine
Sibi viator autumat,
Instare casus pessimos.

Das heist auff teutsch fast ungefahr
Vierhundert, funffzig und vier Jahr
Nach Christi des Herren Geburt,
Als damahlen gezehlet wurdt.
Ein unsinnig Weib böser Art,
Den Attilam erschrecket hat,
Als er wolt über den Lech setzen
Bey Augspurg sichs seins Leyds ergötzen,
Schrey sie dreymahl greulich allda:
Weich hinter sich O Attila.
Die gantze Historia wie du siehst,
Auff zwo Person gegründet ist.
Den Attilam und einem Weib,
Davon ich itzund weiter schreib.
Als aus dem Land Italia,
Das letztmahl zog der Attila
Nach Hauß mit seinem gantzen Heer,
Ist ihm damahls ohn alls Gefehr,
Begegnet auf eim stoltzen Roß,
Ein rasend Weib unsinnig groß,
Die mit gar erschröcklicher Stimm
Dreymahl die Wort zuschreyen ihm,
O du mein lieber Attila,
Weich hinter sich zurück alda
Das hielt nun nach laut der Geschicht
Für ein böß Zeichen männiglich,
Als wann noch einem dieser Zeit
Ein Haas läufft über den Wegscheid.
Hält mans für ein Präsagium,
Ja für eine böse Weißagung.

Carolus Stengelius in Commentario Rerum Augustanarum Part. I. cap. XXIII. rem ita depingit:

Anno CDLI. Attila Hunnorum Rex ex Pannonia maximum & apparatissimum in Galliam exercitum duxit. Is omnium post homines natos mortaliũ maxime ferox, & superbus, qui obvia quæq; fulminis in morem protrivit, disjecit, atque V. Beda teste, adeo intolerabilis Reipublicæ remansit hostis, ut totam pœne Europam excisis civitatibus atq; castellis corroderet. Prodidere privati Augustanorũ annales, urbẽ ejus tempestatis vi concussã, fœde vastatam, ædiculam, quam cœmiterio post Afræ mortem additam dixi-

mus, inflammatam, nec quidquam præterea de tanta clade memorant. Attamen Nicolaus Olaus hæc præterea scribit: adhuc traditur quædam mulier fanatica, equo infecta, Attilæ redeunti ex Italia in Pannoniam, sub trajectum Lyci amnis, inter Rhætos & Vindelicos defluentis, ter frementi voce acclamavisse : Retro Attila. Hæc Historia nostra ætate depicta est in turre, prope Ecclesiam Minorum Conventualium. Constat hinc, mulierem illam fuisse fanaticam aut valde iracundam; ex his autem inferri non potest, eam fuisse sagam; nam si omnes mulieres furentes, aut iræ œstro percitæ, huic societati essent adjungendæ, pauci in universo orbe extarent anguli, qui sagis non abundarent. Potius inde colligimus, fuisse mulierem multum in bello versatam, nec ulla hostium copia perterritam, atque ex his magnam. Sicuti ejusdem generis mihi videtur illa fuisse, quæ Druso privigno Augusti, cum Albim transire vellet, apparuit eumque ne ultra progrederetur, prohibuit. Dicimus autem eam Amazonum similem fuisse, sive ad antiquas sive recentiores respicias. De *illis Justinus Lib. II. cap. 4.* aliique videri possunt. De *his* perhibent quod in Imperio Monomotapa, Africæ regione, vivant, atque vice militum in bellum proficiscantur. Quemadmodum verò nonnunquam canes in re militari ibidem adhibet Rex, ita has Amazones furore canum instar pugnandi cupiditate etiam in hostes flagrare. Quod autem nonnullas gentes in usu receptum habere legimus, ut nempe summo cum furore atque clamore hostem invadere atque repellere tentent, quemadmodum de Turcis atque Tartaris constat; ita ab hac Amazone Augustana idem potuit observari. Nec inficias ire volumus, in summis nonnunquam Rerumpublicarum civitatumque angustiis Deum heroinam aut bellicosam mulierem excitavisse, quæ, ipsius ope fulta, multas legiones antecellere potuerit militum. Frequentissime enim Deus, quo auxilium illius longe lateque pateat, per organa despecta, atque per se nihil valentia operatur. Nolumus, quæ ab aliis dicta, recoquere; quilibet historiâ tum ecclesiasticâ, tum profanâ leviter tinctus exemplis haud destituetur, multasque mulieres instar Fulviæ, Antoniæ uxoris, nihil muliebre præter corpus gessisse fatebitur. Fluit itaque consequentia nostra iterum ex Loco de definitione ac definito. Quæc. mulier

opera-

operationes ſuas in conſpectu omnium, easque magis bellicoſas quam magicas edidit, ea ſagarum numero eſt eximenda. Jam autem noſtra hic adducta &c. Ergo. Minor videtur probatione ulteriori non indigere. Ex antea enim dictis ſatis abundeque apparet, nequaquam eam ſagarum inſtar nocturno tempore Attilæ aut illius exercitui obfuiſſe, ſe luce ſerena obviam iviſſe. Quis etiam unquam tale factum ſagarum factionibus adſcriptum legit atque invenit? Quemadmodum itaque avium genus ex cantu, campanarum ex ſono; ita ſagarum ex operatione cognoſcimus atque dijudicamus.

Et hæc fuerunt, quæ tanquam primitias ſtudii noſtri Academici Patronis atque Fautoribus offerre auſi fuimus. Ingenue autem fateor, nulla in parte hæc eſſe tanta, ut voluntatem eorum explere, atque vexatiſſimæ huic obſcuriſſimæque materiæ lucem accendere polleant; ſiquidem multa aut plane non, aut ſaltim extremis, ut ajunt, digitis pro imbecillitate virium atque ingenii attigimus. Spem autem non dubiam habemus, fore, ut ſatis hactenus perſpectus, ac per aliquot annos erga nos abunde declaratus favoris ac benevolentiæ ulterius nobis adſpiret Favonius, nec non Patroni illa, qua ſemper aſſolent, humanitate in filios, levitati calami ignoſcant, memores ſapientis aſſerti:

In magnis & voluiſſe ſat eſt.

Gloria ſit Soli, qui regit aſtra Poli.

Ad Celeberr. DN. SPIZELIVM, Theologum Auguſtanum.

EN! Tuus ut Te ponè ſequi Stridtbeckius audet!
Namque ſuo Lamias ſtringit uterque ſtilô.
Quam bene! Sed ſi porrò ſequi Te paſſibus æquis
Pergat, erit ſimilis Doctor in Æde Tui.

D. VAL. ALBERTI.

De

mus, inflammatam, nec quidquam præterea de tanta clade memorant. Attamen Nicolaus Olaus hæc præterea scribit: adhuc traditur quædam mulier fanatica, equo infecta, Attilæ redeunti ex Italia in Pannoniam, sub trajectum Lyci amnis, inter Rhætos & Vindelicos defluentis, ter frementi voce acclamavisse : Retro Attila. Hæc Historia nostra ætate depicta est in turre, prope Ecclesiam Minorum Conventualium. Constat hinc, mulierem illam fuisse fanaticam aut valde iracundam; ex his autem inferri non potest, eam fuisse sagam; nam si omnes mulieres furentes, aut iræ œstro percitæ, huic societati essent adjungendæ, pauci in universo orbe extarent anguli, qui sagis non abundarent. Potius inde colligimus, fuisse mulierem multum in bello versatam, nec ulla hostium copia perterritam, atque ex his magnam. Sicuti ejusdem generis mihi videtur illa fuisse, quæ Druso privigno Augusti, cum Albim transire vellet, apparuit eumque ne ultra progrederetur, prohibuit. Dicimus autem eam Amazonum similem fuisse, sive ad antiquas sive recentiores respicias. De *illis Justinus Lib. II. cap. 4.* aliique videri possunt. De *his* perhibent quod in Imperio Monomotapa, Africæ regione, vivant, atque vice militum in bellum proficiscantur. Quemadmodum verò nonnunquam canes in re militari ibidem adhibet Rex, ita has Amazones furore canum instar pugnandi cupiditate etiam in hostes flagrare. Quod autem nonnullas gentes in usu receptum habere legimus, ut nempe summo cum furore atque clamore hostem invadere atque repellere tentent, quemadmodum de Turcis atque Tartaris constat; ita ab hac Amazone Augustana idem potuit observari. Nec inficias ire volumus, in summis nonnunquam Rerumpublicarum civitatumque angustiis Deum heroinam aut bellicosam mulierem excitavisse, quæ, ipsius ope fulta, multas legiones antecellere potuerit militum. Frequentissime enim Deus, quo auxilium illius longe lateque pateat, per organa despecta, atque per se nihil valentia operatur. Nolumus, quæ ab aliis dicta, recoquere; quilibet historiâ tum ecclesiasticâ, tum profanâ leviter tinctus exemplis haud destituetur, multasque mulieres instar Fulviæ, Antoniæ uxoris, nihil muliebre præter corpus gessisse fatebitur. Fluit itaque consequentia nostra iterum ex Loco de definitione ac definito. Quæc. mulier

opera-

operationes ſuas in conſpectu omnium, easque magis bellicoſas quam magicas edidit, ea ſagarum numero eſt eximenda. Jam autem noſtra hic adducta &c. Ergo. Minor videtur probatione ulteriori non indigere. Ex antea enim dictis ſatis abundeque appareret, nequaquam eam ſagarum inſtar nocturno tempore Attilæ aut illius exercitui obfuiſſe, ſe luce ſerena obviam iviſſe. Quis etiam unquam tale factum ſagarum factionibus adſcriptum legit atque invenit? Quemadmodum itaque avium genus ex cantu, campanarum ex ſono; ita ſagarum ex operatione cognoſcimus atque dijudicamus.

Et hæc fuerunt, quæ tanquam primitias ſtudii noſtri Academici Patronis atque Fautoribus offerre auſi fuimus. Ingenue autem fateor, nulla in parte hæc eſſe tanta, ut voluntatem eorum explere, atque vexatiſſimæ huic obſcuriſſimæque materiæ lucem accendere polleant; ſiquidem multa aut plane non, aut ſaltim extremis, ut ajunt, digitis pro imbecillitate virium atque ingenii attigimus. Spem autem non dubiam habemus, fore, ut ſatis hactenus perſpectus, ac per aliquot annos erga nos abunde declaratus favoris ac benevolentiæ ulterius nobis adſpiret Favonius, nec non Patroni illa, qua ſemper aſſolent, humanitate in filios, levitati calami ignoſcant, memores ſapientis aſſerti;

In magnis & voluiſſe ſat eſt.

Gloria ſit Soli, qui regit aſtra Poli.

Ad Celeberr. DN. SPIZELIVM, Theologum Auguſtanum.

EN! Tuus ut Te ponè ſequi Stridtbeckius audet!
Namque ſuo Lamias ſtringit uterque ſtilô.
Quam bene! Sed ſi porrò ſequi Te paſſibus æquis
Pergat, erit ſimilis Doctor in Æde Tui.

D. VAL. ALBERTI.

De

DE Sagis Sophie quidnã Christiana loquatur,
Hocce sub Examen, dulcis Amice, vocas.
Gratulor, & Sophicũ niteat, precor, inde brabéum!
Theisophies pariter Te manet amplus honor.

Hæc voto & omine clare Docto Dn. STRIDTBECKIO. Fautori & Domestico suo honoratissimo, addictam testari mentem v. d.

GOTTLOB FRIDERICVS Seligmann /
S. Th. Lic. ad D. Nic. Ecclesiast. Min.
PP. Collegiat.

DVm nigri de mancipiis, Doctissime, Ditis
Disseris, adplaudo & grator, Amice, Tibi.
Illa petant urbem stygiam; Te culmen honoris,
Quo tendis felix, indubitato manet.
Nam par ingenio pretium mox solvet Apollo,
Laurea cum doctum cinget amœna caput.

Debiti honoris ergo, Præ-Eximio Dn. Cognato,
ac amico æstumatissimo, hæcce deproperab.

C. R. S. A.